BREVIS

ET DILVCIDA DE SACRAmentis Ecclesiæ Christi tractatio, in qua & fons ipse, & ratio, totius Sacramentariæ nostri temporis cõtrouersiæ paucis exponitur: naturaq; ac uis Sacramentorum compendio & perspicuè explicatur, per Ioannem à Lasco, Baronem Poloniæ, superintendentem Ecclesiæ peregrinorum Londini.

Ephesiorum. 4.

Obsecrò itaq; uos ego uinctus in Domino, ut dignè ambuletis uocatione, qua uocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis.

Londini per Stephanum Myerdmannum. An. 1552.

Clarissimo viro Dño Chrophoro ab Ilm Dño Et frī obseruanmo

Joannes à Lasco
Dono misit

SERENIS-

SIMO AC CHRISTIA-

nißimo Principi & Domino, Domino EDVVARDO eius nominis ſexto, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, ueræ Catholicæ atq; Apoſtolicæ fidei defenſori, &c Ioannes à Laſco ſuperintendens Eccleſiæ peregrinorum Londini inſtitutæ optat gratiam & pacem à Deo Patre noſtro per Chriſtum Dominum, unicum, ſummum, atq; æternum, Regem, Doctorem, ac Pontificem animarum noſtrarum. Amen.

INTER MVLTA quæ homines paſſim admirantur in rerum Diuinarum conſideratione, id plerisq; ſumma admiratione dignum eſſe iudicarunt (REX CHRISTIANISSIME) quòd cum Deus Opt. Max. ſit reuera ſolus ipſe Dominus ac moderator omnium & quæ in cœlo,

& quæ in terra: tantum interim permittat iam indè ab ipso usq; initio mundi, maledictæ illi uiperæ, totius (inquam) humani generis insidiatori Diabolo. non in nos tantum, quos alioqui & in prima creationis origine secundum suam ipsius similitudinem sanctos atq; immortales in lumbis Adæ primi progenitoris nostri creauerat: & nunc demum etiam in sacrosanctum unigeniti filij sui corpus mysticum, per suam gratuitam misericordiam adgregauit: sed in diuinam quoq; eius dem ipsius, filij sui, doctrinam, adeoq; & in eas ipsius institutiones, quas ille ueluti Colophonem quendam omnis suæ doctrinæ, pignusq; extremum suorum in nos beneficiorum, ac nostræ uicissim erga se gratitudinis incitamentum in sua Ecclesia reliquit. ut nō ita multum abesse uideri propemodum possit: quin & membra corporis Christi omnia (solutis illius compagibus) tandē tandem dissipet: & doctrinam eius salutarem suppriмat: Et institutiones deniq; ipsius omnes, in abominandam suam idololatriam insidiosissimè transformet. Neq; sanè temerè id passim mirantur omnes, dum suæ rationis uaditium sequuntur: Hæc enim non nisi ex præsentis

bus

bus futura æstimare solet omnia, & ijs po-
tißimum mouetur, quæ in oculos sensusue
alios nostros incurrunt. At uerò si à nostræ
rationis iudicio ad ineffabile Diuinæ (hac in
parte) prouidentiæ consilium (quatenus nos
bis quidem uerbo suo Diuino patefactũ est)
oculos mentis nostræ conuertamus: admira-
bimur sanè immensam Diuini hic consilij sa-
pientiam. sed intelligemus etiam, id totũ non
alio spectare: quàm ad ornandam illustrandã-
q; in cœlo pariter ac in terra gloriam immor-
talem summi atq; æterni Dei. nempè ut tan-
to magis sit celebris ac cõspicua laus & glo-
ria filij Dei in carne nostra, post deuictum
adeoq; & conculcatum in nostra infirmitate
superbum illum præfractumq; illius ac no-
strum in illo omnium aduersarium: quanto
maiore nunc illeui, conatu, ac tyrannide
Christi Domini calcaneum, in membris, do-
ctrina, ac institutionibus ipsius conculcare
uidetur. Enimuerò oculis ipsi nostris iã cer-
nimus, plurimos & maximos Satanæ cona-
tus (Diuino beneficio) retrolabi, ac ruere
omninò: atq; adeo cedere etiam (quamlibet
reclamante ac furente mundo) ad gloriam fi-
lij Dei, & incredibilem piorum omnium cõ-
solatio-

ſolationem. Quot enim fraudes, Quot impoſturas, Quot dolos ipſius, in Romano Papatu ſtatuendo adhibitos, luce iam ac ui doctrinæ Euangelicæ detectos (ſit deo gratia) prorſuſq; diſpulſos uidemus? quorum equidem profligatio, nunquàm ita illuſtris ſpecioſáq; fuiſſet: ſi non interea Papa ipſe Romanus, præpoſtera ſua autoritate ac tyrannide (Satana proculdubió autore) ualuiſſet. ut iã tyrannidis illam truculentiæq; papiſticæ magnitudinem, ad quam mundus unuerſus obſtupeſcere planè uidebatur, non alio re uera ſpectaſſe comperiamus: quàm ut Chriſti domini aduerſus ipſum in noſtra infirmitate uictoria, maxime illuſtris ac cõſpicua eſſet. Mirentur qui uolent igitur ſatanæ in mũdo hoc potentiam. Nos dum proſperos illius, eiuſue ſatellitũ ſucceſſus intuemur: ſtatuamus gloriam filij Dei hoc poſcere, ut res eorum aliquouſq; in altum efferantur, quo lapſu demum grauiore ruant: ruinæq; ad extremum magnitudine, Chriſti Domini per nos in uerbo ſuo uictoriam, celebrem, conſpicuam, atq; illuſtrem reddant. Sed & in re Sacramentaria inſigne (ut nuſquàm alibi) prorſuſq; memorabile eius rei exemplum habemus. Quid

enim

enim non tentauit Satan ut ueram ac ſalutarem de Sacramentis doctrinam, uerumq; ac legitimum illorum uſum adulteraret: atq; ita demũ etiam aboleret? Quanta hic hypocriſi initiò, quanta itẽ poſteà tyrannide ac truculẽtia rẽ egit? Et ut alia nunc ſacramẽta omittã (longũ eſſet enim omnia recenſere) in quibus ille alioqui omnibus nihil omninò prætermiſit, quod ad eorum profanationem ullo prorſus modo pertinuiſſet. Quantum obſecrò & quale monſtrum ſub Papatu ſuo commentus eſt, in cœnæ Dominicæ poculo & pane? præſtigias (inquam) ſuæ tranſubſtantiationis, & propitiatoriam illam noui neſcio cuius, Chriſto certè incogniti, adeoq; & aduerſarij ſacerdotij oblationem, pro uiuorum & mortuorũ peccatis? Deinde quanto (obſecrò) monſtrum hoc tale, templorum, altarium, ueſtium planè ſcenicarum, nolarũ, cereorum, ſuffituum, modulationũ, ac hiſtrionicarum propemodum geſticulationum, eiuſq; farinæ plurium ſuperſtitionum apparatu exornauit? Poſtremò quanta illud tyrannide ac truculentia, & hactenus progugnauit: & propugnare etiamnum (quod in ſe eſt) non ceſſat: Neq; dubium eſt, quin ſe to-

tum planè orbem (inducta monstri huius sui idololatria) conculcaturum esse putaret. Et tamẽ quid iã illi prosũt omnes fuci? quid tot conatus? quid tantus fastus atq; apparatus? quid tanta deniq; tyrannis & truculentia? Ruit iam ecce monstrum illud sesquipedale suæ transubstantiationis. Ruit simul & propitiatoria illius oblatio: cum omni sua hypocrisi, cum omni fastu atq; apparatu: cumq; omni sua tyrannide & truculentia. Et tanto grauiore lapsu ruit, quanto se magis in sublime extulerat. multoq; magis insignem ac gloriosam reddit Christi Domini aduersus monstrum hoc in nobis uictoriã, hæc istiusmodi ruinæ magnitudo: q̃ si nõ ita in sublime hactenus, monstrum ipsum (totius mundi iudicio) subuectum fuisset. Quid uerò? tantòne conatu atq; apparatu monstrum hoc ad ruinam est pertractum: quanto institutum erat? Equidem nostro hoc sæculo, unius potissimum hominis opera (per Dei gratiam) factum est, & quidem contempti planè ac uehementer inuisi mundo toti, sed in oculis Dei electi proculdubio organi, æternaq; digni memoria, Martini (inquam) Lutheri: ut monstrum hoc prodigiosum, coactum sit in præceps

præceps ruere omninò. Huic uerò demũ & alij (diuino beneficio) ſucceſſerunt, per quos (uirtute Diuina) caput ipſum ſatanæ in mõſtro hoc, ad imum uſq; detractum, pedibuſq; Chriſti domini ſubiectum prorſus eſſe uidemus: conculcandum deinceps proculdubiò, in Euangelio ipſius. Et conatur quidem adhuc Tartarea uipera illa, caput ſuum (pedibus iã Chriſti Domini in monſtro hoc ita preſſum) denuò attollere: excitatis quibuſdam (hac in parte) adhuc doctrinæ diſſidijs. Cæterum firmius illi iam pedem ſuum impreſſit Chriſtus Dominus in ſuo Euangelio (illi ſit gloria) quàm ut ſe monſtrum hoc erigere amplius unquàm omninò poſſit. Atq; caudam quidem hic ſuam uipera illa adhuc uibrare, hac atq; illac, non ceſſat, ad ſerenda alendaq; diſſidia quædam: ſed caput ſibi conculcari iam, adeoq; & comprimi ferre cogitur, uelit, nolit: & caudæ ſuæ quantumuis tortuoſæ uerbera, languidiora eſſe ſentit hauddubiè, quàm ut nobis in Chriſto Domino luceq; Euãgelij ſuæ lætalia amplius quoquomodo eſſe poſſint. Iacet nimirum conculcata iam Chriſti pedibus per lucem Euangelicam Papiſtica tranſubſtantiatio. Iacet, & blaſphema Miſſaria

illa pro uiuis ac mortuis oblatio, eiusq; nundinatio. Iacet deniq; etiam prodigiosa illa nè Ethnicis quidem ipsis unquàm audita ἀρτολατρεία. Hæc sanè iacent omnia ineffabili beneficio Dei. Et quidem ita iacent conculcata compressaq; luce Euangelij Christi, etiam in Papistarum ipsorum animis, si re paulò diligentius inspecta uerum fateri uelint: ut in eis caput iam deinceps suum Satan, erigere in æternum non amplius possit. Reliqua porrò caudæ suæ tortuosæ uerbera, dissidia inquam, quæ in causa hac Sacramentaria supereſſe adhuc uidemus, tanta non sunt: quanta ille esse, atq; haberi cupit. & breui per Dei gratiam componenda esse non dubitamus. Certamen est pro externis duntaxat signis Sacramentorum, eorumq; elementis. quæ quidem minora hauddubiè ac uiliora sunt etiam in Sacramentorum consideratione, si cum mysterijs ipsorum conferantur: quàm ut pro eis tanta certamina susceipi debeant. Sed quemadmodum hactenus in altum euehi passus est Deus Opt. Max. monstrum illud transubstantiationis cum omnibus appendicibus ipsius: ut quantò grauior demum esset ruina illius, tantò magis insignem etiam

ac

ac celebrẽ Christi per nos uictoriã redderet. ita & nunc quantò magis intendi exaggerarique uidemus exortam hanc controuersiam de Sacramentorum signis elementisq; illorũ: quantoq; maiore conatu adhuc Satan per caudæ suæ uerbera concordiam hic nostram remorari conatur: tantò sanè magis speciosam, illustrem, ac conspicuam fore (hac in parte) ueritatis uictoriam minimè dubitamus. Laborauit in hoc, summo studio, uir sanctæ memoriæ & admirandæ eruditionis Martinus Bucerus: ut hanc controuersiam componeret. Hoc ipsum egerunt etiam plerique alij doctissimi iuxta ac pientissimi uiri. addiditq; gratiam suam Dominus, ut primariæ Heluetiorum Ecclesiæ quæ anteà dissidebant inter se primum omnium consentirent. Cœpit deindè mox latius propagari doctrinæ consensio, etiamsi non iisdem ubiq; uerbis exprimeretur: & ad Frisiam usq;, atq; item ad florentissimum hoc Angliæ Regnũ peruenit, manuq; (quod dicitur) utraq; (Diuino beneficio) retinetur. Iam uerò eandem ipsam consensionem publico scripto contestata est non ita pridem etiam Geneuensis & Neocomensis Ecclesia, autore Ioanne Caluino:

nostro: uiro planè incomparabili. cuius alioqui eruditionem cum pari pietate coniunctam, nō nostra modo, sed & nepotum nostrorū ætas meritò admirari debebit, tametsi is non tam dissensisse anteà, quàm uerbis quibusdam potius uariasse uideri possit: quò facilius ad eandem sanè ipsam sed uerbis interim nonnihil uariatam consensionem alios quoq; induceret. Quod equidem nobis in nostra nunc etiam tractatione usuuenit. Nam & nos non eandem ubiq; cum alijs loquendi rationem in tradenda eadem nihilominus doctrinæ sententia sequuti sumus: ut res eadem, uariè exposita, facilius percipi posset. cum præsertim & Caluino ipsimet, & Tigurinis etiam ministris, in ea ipsorum consensione, quædam paulò adhuc obscurius dicta esse uiderētur. atq; utriq; literis ad me suis testarentur, se optare, ut res aliquantò clarius adhuc explicaretur. Addidimus igitur & nos, auctarij uice, nostrā tractatiunculam: ut nos eam ipsam illorum consensionem probare, adeoq; & sequi testaremur. Et consensionem ipsam nostræ etiam tractationi adiunximus, ut inter se facilius conferri possent. Breuiter eo iam deuenisse rem (per Dei gratiam) uidemus, in

ea

ea de signis Sacramentorum controuersia: ne quo magis illam intendi adhuc alibi audimus: hoc nobis pulchriorem, magisq; memorabilem concordiam, certo, & breui expectandam esse (Deo bene uolente) non dubitemus. Neq; uerò tam necessarias esse amplius putamus ad obtinendam eam concordiam multas & longas disputationes: quàm potius preces publicas ac feruentes omnium Ecclesiarum, quæ doctrinam Euangelij Christi publicè profitentur: Et studium diligens in restituendo puro ac legitimo usu Sacramentorum. Non poterit non audire preces suæ Ecclesiæ Dominus Deus noster, propter dilectum suum filium, cuius causa agitur. Purus uerò ac legitimus Sacramentorum usus, corda proculdubiò omnium ad unanimem & doctrinæ simul & animorum consensum excitabit. fieri enim non potest ut non tandem unanimes fiant, qui Sacramentis purè ac legitimè utuntur. Aut certè purè legitimèq; illis non utuntur: qui unanimes esse recusant. Qua quidem in parte usus disciplinæ ecclesiasticæ circa Sacramentorum administrationem plurimum prodesset. Et sunt quidem multa hactenus tentata, cum hic, tum alibi

alibi, in restituendo puro ac legitimo usu Sacramentorum. neq; id sine magno fructu proculdubiò. Sed tamen ad umbilicum (quod dicitur) non adhuc peruetum est. Atq; agendæ sunt omninò ingentes gratiæ Domino Deo nostro, quòd res eo peruenerint in restituendo usu Sacramentorum, quò illas peruenisse uidemus. Et est commendandum hauddubiè eorum studium, qui rem eò usq;, neq; sine multorum inuidia, neq; etiam sine periculis promouerunt. Sed nondum est sistendus gradus, quasi omnia confecta essent. Rectè facit Pater, laudemq; meretur proculdubiò, si filiam uirginem, dolis lenonum ad ganeas fortè abreptam, rituq; iam meretricio ornatam, protinus illinc eximat, incolumi adhuc pudicitia illius: inq; suas rursum ipsius ædes reducat. Sed idem satis non esse putat, ad tuendam, suam, filiæq; illius, & totius adeò familiæ suæ honestatem: eximisse è ganeis filiam, inq; suas ædes reduxisse: nisi illi id totum planè detrahat, quod in ganeis illis, pro ornatu meretricio, haberi uidet. Neq; disquirit, undénam ornatus ille originem suam habeat. Sed indecorum sibi, adeoq; & castitatè filiæ suæ, & familiæ etiam totius

ius

indignum esse iudicat, ut aliquid omninò ex iusmodi domi suæ conspiciatur, undecunq; tandem deductum esset, quod in ganeis ipsis pro ornatu meretricio haberi non ignoret. Neq; hic audit eorum persuasiones, qui omnia ex patris arbitrio domi suæ æstimanda esse dicunt. Et proindè ornatum quoq; meretricium in ganeis illum, honestissimu fore iam putant domi paternæ, cum filiæ illi, tum etiam reliquæ toti familiæ: si quidem paterna autoritate comprobaretur. eò quòd in patris id potestate positum esse uideatur, ut quæ illi probantur, ea iam honesta etiam domi suæ omnia esse censeantur. Intelligit enim, etiamsi domi suæ pro honestis haberentur omnia, quæ ipse sua autoritate comprobasset: honestatem tamen filiæ illius, & familiæ suæ totius, non intra domesticos sibi diuisas parietes suos, sed per totam etiam ciuitatem reliquam, tuendam esse: ut omnem malam suspitionem, apud omnes omninò ciues, à domo sua depellat. Et cauet, ne ullis rursum lenocinibus, ullam deinceps etiam reposcendæ denuò aliquando ad ganeas filiæ suæ occasionem quoquomodo relinquat, pro iure ipsorum: si quæ apud illam notæ adhuc illæ, ganeis familiis

miliares, conſpicerentur. Ita uerò etiam pa-
rentum loco ſunt in Dei Eccleſia, ueluti in
ciuitate quadam, & uerbi & gladij miniſtri
omnes, habentq; ſibi concreditum ab ipſomet
Domino Deo, ueluti filiæ loco, purum ac le-
gitimum miniſterium Sacramentorum. Et
eſt unus atq; idem omninò Epiſcopatus ho-
rum omnium in Dei Eccleſia, uelut in ciuita-
te quadam, concordi interim functionum di-
ſparitate ornatus, uerbi uidelicet & gladij:
Et multorum etiam (pro cuiuſq; portione)
numeroſitate diffuſus. quemadmodnm ſan-
ctus Dei martyr Cyprianus docet. Hic igi-
tur iſtorum Eccleſiæ parentum (ut ita iam
loquamur) fidem ac ſtudium nemo non meri-
tò laudauerit. Si concreditum ſibi ab ipſo-
met Deo (ueluti filiam quandam) purum ac
legitimum miniſterium Sacramentorum, ab
Antichriſti Romani & lenonum ſuorum ga-
nuis, in quas ui ac tyrannide ipſorum abdu-
ctum fuerat, in ſuas ipſorum domos rurſum,
in curam inquam ac cuſtodiam ſuam redu-
xerunt. hi quidem gladij, non fruſtra alioqui
ſibi traditi: illi uerò uerbi Diuini autoritate.
Sed hic cogitare utriq; nihilominus debent,
potiſſimum autem ij, qui non fruſtra præ-

cel-

cellentes Dei ministri, altoresq; Ecclesiæ Dei à spiritu sancto uocantur: Reges inquam ac Monarchæ Christiani: satis non esse, si filiam illam, è ganeis papisticis in ædes rursum suas ipsorum, hoc est, in curam custodiamq; suam recipiant. nisi si eam omni etiam illo ornatu planè exuant: quem in ganeis ipsis, meretricium ornatum, & esse, & haberi sciunt. ne quid eiusmodi, domi ipsorum, conspiciatur: quod pro meretricio haberi posset. in ea potissimum ciuitate, in qua uaria sunt adhuc hominum iudicia: neq; ab uno homine gubernari possunt. & in qua præterea multas adhuc ganeas, infinitamq; lenonum turbam superesse constet. Neq; hic audient persuasiones illorum: qui ornatum eiusmodi (undecunq; tandem desumptus esset) honestum nihilominus domi paternæ fore existimant: si patris ipsius autoritate comprobetur. Intelligunt enim, non toti se ciuitati omninò, non toti inquam Dei Ecclesiæ: sed parti duntaxat illius alicui, ueluti domui ac familiæ cuidam præesse. Et proindè, etiamsi domi suæ pro honestis iam haberi uideant, quæ ipsi sua autoritate comprobasse: sui interim officij esse agnoscunt (quæ

tenus equidem castitatis amantes publicæq; honestatis studiosi haberi uolunt) ut filiæ illius, totiusq; adeò familiæ suæ honestatem, non intra domesticos duntaxat parietes suos, sed per totam ciuitatem illam etiam, omni cura ac studio tueantur. nihilq; domi suæ conspici patiantur, quod in eiusdem ciuitatis ganeis ac lupanaribus, maximo lenonum omnium conatu ac tyrannide, pro meretricio haberi interim, urgeriq;, ac propugnari uident. Postremò cauendum sibi modis omnibus esse putant, ne ijsdem lenonibus rursum, aut eorum similibus, ullã omninò occasionem (pro iure ipsorum) relinquant quoquomodo, reposcendæ fortè aliquandò filiæ illius suæ: si quæ notæ adhuc (ganeis illis familiares) apud illam conspicerentur. Iam uerò tu quoq; unus es ex hisce Ecclesiæ Dei altoribus (REX SERENISSIME) quo quidem nomine summas Deo Patri nostro cœlesti gratias agimus. Et concreditum tibi in præcellenti uocatione hac tua à Domino Deo, Sacramentorum ministerium, ueluti filiam quandam, è ganeis iam papisticis (ad quas abreptum fuerat) in tuas rursum ædes (Diuino beneficio) hoc est, in curam ac custodis

ſtodiam tuam domeſticam, reductum habes. Quæ ſanè in parte, non uulgarem tuorum fidem, diligentiam, ac dexteritatem, nunquàm ſatis laudari poſſe nemo negare poteſt. Hic tu igitur tibi quoq; ſequendum eſſe cogitabis, in his quæ adhuc reſtant, propoſitum iam boni parentis exemplum, in tuenda reductæ filiæ, totiuſq; adeo familiæ tuæ, publica honeſtate: non tantum in regno hoc tuo florentiſſimo, ſed in catholica etiam Chriſti Eccleſia, cuius alioqui & ipſe ciuis es: eiuſq; partem pulcherrimam, ueluti inſignem illius familiam, tibi concreditam habes. Hoc uero abſte pij omnes, toto orbe Chriſtiano expectant. Et quidem tanto maiore deſiderio, quanto maioribus atq; excellentioribus donis te à Domino Deo noſtro ornatum, ac ſublimiore etiam ſupra alios ferè omnes loco poſitum eſſe non ignorant. nempè ut Sarramentorum miniſterium, illecebris meretricijs impiæ ganeis nefandiſſimè profanatum, omni illarum ornatu meretricio exuas: ſuoq; illud ornatu uirgineo rurſum induas. quo uidelicet à ſummo illo, Regũ omnium Rege ac Nomotheta, Chriſto domino, in ſuis inſtitutionibus ornatum eſſe conſtat. Sic enim nota

demum erit toti Ecclesiæ Christi, fides tua: in tuenda filiæ tibi concreditæ, non domi modo tuæ, sed toto etiam orbe terrarum publica honestate. Exposui autem aliqua ex parte in libello hoc nostro, illecebras ganearum Papisticarum, quibus Sacramentorum usum lenones illi Romanenses indignissimè deturparunt. Indicaui item ut potui uerum, purum, ac uirgineum ornatum illius, ut à domino institutus est. Tantum de usu disciplinæ dicendum adhuc erat paulo accuratius: nisi argumenti suscepti ratio, alio me traxisset. tametsi eius quoq; meminimus, circa finis Sacramentorum omnium explicationem. Nihil autẽ æquè ornare potest usum Sacramentorum in Ecclesia Christi, atq; legitima disciplinæ Ecclesiasticæ circa illum obseruatio. nempè ut sese mutuo omnes qui unà Sacramentis utuntur, primum priuatim & amanter ut fratres, si quid alius in alio desiderat: deinde duobus aut tribus adhibitis: postremo publice quoq; (ex uerbo Dei) admoneant, consolentur, corrigant, ac reprehendant, iuxta suum quisq; ordinem. ad atteſtandum nostrum studium, in ueteris inter nos fermenti expurgatione, & promouendis

ſubinde inci tamentis aſſiduis, nouæ inter nos conſperſionis. Vt qui unum nos panem, unum corpus eſſe teſtamur, uſu Sacramentorum mundum nos etiam atq; expurgatum panem Domini cupere eſſe, unanimiter omnes declaremus. Vtinam uero id nobis uidere aliquando liceat tuis auſpicijs (REX SERENISSIME) in Regno hoc tuo florentiſſimo. tuumq; hic exemplum, reliquæ deinceps Eccleſiæ omnes, toto orbe Chriſtiano ſequantur. Voluiſſemus quidem nos, eius rei ſpecimen qualecunq; dare, in inſtituta tuæ Maieſtatis beneficio (per Dei gratiam) noſtra hic peregrinorum Eccleſia: ſi nobis id bona tuæ Maieſtatis uenia licuiſſet. adeoq; & nunc uellemus, ſi liceat. neq; dubitaremus, rem maioris multò fructus fore, quàm ullis omnino uerbis explicari queat. Certe & ad repurgandum Regnum uniuerſum tuæ Maieſtatis, cum flagicijs omnibus, tum uero imprimis etiam Sectis ac Hæreſibus, nunc ubiq; (ut nunq; antea) graſſantibus: & ad ſiſtenda itẽ domeſtica omnia doctrinæ diſſidia, haud ſcio an ulla omnino, & facilior & utilior, & magis Chriſtiana etiam ratio reperiri poſſit. Quid autem magis expeti optas

nq; debeat, in Christi Ecclesia: quàm ut compositis omnibus doctrinæ & animorum dissidijs, in mutuo omnes amore ac concordia, unius nos uerè corporis membra esse sub capite nostro Christo Domino unanimiter testaremur? Huc sanè spectant piorum omnium studia, qui in Sacramentaria controuersia componenda omnia sibi tentanda esse (iuxta uerbum Dei) putarunt. Huc uero etiam spectat nostra hæc tractatiuncula: quam in hoc potißimum susceptam tuæ hic Maiestati offero pro mea in illã obseruantia. Oroq; ut eam benigno ac clementi animo à me accipere dignetur. Deus autem Opt. Max. qui te afflictæ nunc suæ Ecclesiæ (singulari suo beneficio) donare dignatus est, ut in illa ueræ religionis custos supremus, altorq;, ac uelut pater quispiam esses, in tenera adhuc ætate ista tua, iuxta Euangelium Christi: qui te item tot tantisq; dotibus ita exornauit, ut sine magna omnium admiratione conspici in te non possint: Postremo qui te admirabili hauddubiè potentia, inter tot Satanæ & eius satellitum, conatus, dolos, & pericula hactenus benignè seruauit: idem (inquam) ipse Deus Opt. Max. te deinceps quoq; seruet

uet. addatq; tibi Spiritum ſuum, ut quod in te cœpit, ad finem uſq; perficiat. regatq;, ac gubernet tua conſilia omnia, & ſanctos tuos tuorumq; conatus in reſtituenda uera religione, adiuuet, prouehat, & fortunet.

Amen.

INDEX RERVM ET uerborum.

A

Postolos solos cur Christus in cœnam suam ultimam adhibuerit. 90. b.

B

Baptismus est diuina ordinatio, in ministerio Ecclesiæ posita. 81. a.
ad uniuersam pertinet Ecclesiam. 81. b.
est ἐπερώτημα bonæ conscientiæ. 87. a.
est inductio Christi. 88. a.
admonet nos renouationis affectuum. 89. a
A Baptismo qui arcendi. 81. b.
Baptismi fines. 61. a.
Baptismi finis præcipuus. 87. a,
Baptismi signum & mysterium. 87. a.
Baptismi plena definitio. 89. b.
Baptismo nũ Christo primũ inseramur. 10. b
Baptismus infantum defenditur, obiectionibus confutatis. 82. a. 83.
Baptisari in nomen patris & filij, & spiritus sancti quid. 84. b. 85.

C

Caro nõ prodest quicquã, explicatur. 129. a. b
Carnalis præsentiæ doctrina ad salutem nec-

ceſſaria non eſt.127.b.
eſt inutilis multis modis.129.a.130.
fidei uirtutem obſcurat.131.a.
præbet occaſionem idololatriæ.131.b.
facit Chriſti corpus & ſanguinem ubiq; eſſe.132.a.
plena eſt incommodis.130.a.131.
eſt abſurda.132.
pugnat cum ſcripturis.135.b.
pugnat cum incarnatione Domini.135.b. 136.& aſcenſione.136.b.137.
facit ut etiam impij percipiãt in cœna ſubſtantiam corporis Chriſti naturalis.134.a.
Interrumpit perpetuam noſtram cũ Chriſto in corpore & ſanguine eius communionem.130.b.
Carnalis præſentiæ doctrina undè nata ſit. 36.b.37.39.
Carnalis præſentia corporis Chriſti in cœna, eſt nulla.58.a.
Chriſtus ſine peccato factus eſt homo.52.b. 53.54.
Chriſtus quid nobis contulerit in corpore & ſanguine ſuo.46.b.47.48.
Circumciſionis ex Moſe & Paulo deſcriptio 12.b.

finis

finis.59.b.60.75.b.76.
est ordinatio Dei in ministerio Ecclesiæ posita ad uniuersã pertinens ecclesiã.70.a
Circumcisionis signum quod.73.a.
mysterium.73.a.74.75.
plena definitio.77,a.
Clerici qui & unde dicti.96.b.
κλῆρος, unde clerici papistici dicti, est uermis & morbus.97.a.
Cœli nomine quid intelligendum.137,a.
Cœna Domini est Diuina institutio in Ecclesiæ ministerio posita, & ad uniuersam pertinet Ecclesiam.90,a.
quomodo uitiari cœpta sit.1,b,2,3.
Cœnæ Dominicæ plena definitio.114,a.
signum in actione cõsistit.105,a.93,b.
mysterium quod.105,b.
uerba explicantur.106,a,112,a.
A cœnæ usu qui excipiantur.91,b.
Cœnæ Dominicæ fines.113.
Cœnæ Dominicæ num lotio pedum & aliæ dapes adhiberi debeant.93,b,94.
In cœna quæ præcipuè Dominus egit. 95,a.
Cœnæ papisticæ non communicandum.93,a.
Κοινωνία quid, & quod actiuè & passiuè accipiatur.41,a.

passiuè apud Paulum capitur. 41,b,42.
Communio nostra cum Christo qualis in Sacramentis considerãda. 55.a.56.
sentitur fide. 57.b.
Communio quot modis fiat. 44.b.
Communio nostra cum Christo qualis. 45.a.
Communio nostra cum Christo designatur in scripturis à causa, effectibus, & fine. 33.a. 34.
eiusdem uarius modus apud interpretes. 35.a.
Communio nostra cum Christo in corpore & sanguine eius, per doctrinam carnalis præsentiæ corporis eius in cœna interrumpitur. 130.a.b.
Consecrationis uerba. 98.b.
Consessus Ecclesiæ in celebranda cœna mutatus à papistis in geniculationem. 101. a.
Controuersia rei Sacramentariæ est circa signa. 65.b.
Corpus Christi à sãguine nõ separatur. 133.b
Corporis uox quomodo in cœna accipitur. 47.b.108,b.109.110,111.112,
In corpore & sanguine nescio quid nobis Christus contulerit. 46.b.47.48.
Corporis Christi in cœna præsentia non mun-

di huius: fontes in scripturis non habet. 137 b. 138.
Corporis Christi glorificati conditiones. 138. a.
Corpus Christi si in cœna percipitur, num perpetuò in participante hæreat, aut euanescat. 134. b. 135.
Corpus Christi suum splendorem exuit, si in cœna præsens est. 135. a.
Corporis Christi substantiam non edunt impij in cœna. 134. a.
Corporis uox in cœna non significat substantiam corporis. 109. b. 110. a.

D

Disciplina Ecclesiastica circa usum Sacramentorum. 61. b.

E

Elementa Sacramentorum quomodo signa dici possint. 24. b. 25. 26.
Elementa Sacramentorum non sunt adseruanda. 27. a.
Erroris circa cœnam origo. 1. b. 2. 3. 4.
Est, quid in uerbis cœnæ significet. 108. b. 109.
Exhibitio corporis & sanguinis Christi in cœna. 44. a.

F

Fœmellarum à circumcisione exclusio quare facta. 70,b,71,72.
non debet fieri à baptismo. 83, a.
Fidei natura quæ. 126,a,131,a.
Finis Sacramentorum præcipuus quis sit. 59 a,60,62. Et quod uerbum dei habere debeat. 63,a.
Fractio panis in cœna. 99,a,103,b.

G

Gratia Dei erga nos uaria. 17,a.
Gratiarum actio neglecta à papistis in cœna 98,a.

H

Hoc est corpus meum explicatur. 106,a.
papistica interpretatio confutatur. 114,b, 115.
HOC in uerbis Sacramentalibus demonstrat actionem. 106,b,107,108.
Humani generis, creatio, lapsus, & restitutio explicata, 49,a,50,51,52,53,54.

I

Impij an Sacramentis participent. 14,a.
Impij non edunt substantiam corporis Christi in cœna. 134,a,
Incarnationis Christi mysterium. 45,a,46.

50,b,51.
Infantium baptiſmus defenditur obiectionibus confutatis. 82,a,83.
Infantes non edebant paſchalem cœnam, 77,
Infantiam ſuperegreſſi an ſint ad cœnam dominicam admittendi. 92,a.

M

Miraculum in ſignis Sacramentalibus nullum 23,a.
Myſterium Sacramentorum quid. 31,b.
est noſtra cum Chriſto communio in corpore & ſanguine ipſius, 32,a.
Myſterium omnium Sacramentorum est idē. 65,b.
debet habere dei uerbum. 63,.a
Myſterij cum ſigno cōiunctio qualis, 30,b

O

Obſignatio Sacramentaria quid. 59,b.
Obſignatiōis ſacramētariæ fructus duo. 60,b

P

Panis & uinum quomodo ſint Cœnæ ſigna. 105,a.
Panis fractio in cœna. 99,a. 103,b.
eiuſdem fracti diſtributio . 100 . a. 103.b.

Panis ſubſtantia manet in cœna. 100. a.
Panis cœnæ Dominicæ in manus ab Eccleſia accipi debet. 100. b. 104. a.
Papa eſt Antichriſtus. 96. a.
Paſchalis cœna probatur eſſe Sacramentum. 77. b. 78.
Paſchalis cœnæ myſterium quod. 78. a. 79.
Paſchalis cœnæ finis. 79. b.
eiuſdem plenior definitio. 80. b.
Poculum negat Papa Chriſti populo. 96. b.
S
Sacramentaria cauſa facilis eſt. 1. a. b. 2.
Sacramenti ſignificatio quæ retinenda. 12. a.
Sacramenti definitio plena. 62. b.
Sacramenta omnia ſunt unum Sacramentum. 64. b. 65. 66. 67.
Sacramenta num exhibeant gratiam. 15. a.
ad quos pertinent. 18. a.
ſunt in Eccleſiæ miniſterio poſita. 19. b.
non in elementis, ſed actione conſiſtunt. 19 b. 24.
ad uniuerſã pertinẽt eccleſiã. 20. b. 21. 63. b
Sacramenti deſcriptio. 16. a.
uox uariè uſurpata. 6. a. 7. 8.
Sacramenti uox quandò primum nata. 6. a.
Sacramenti uſurpatio Pro militari ſponſione

eum recipi non debeat in re sacramentaria. 9.a.10.11.
Sacramentum debet habere signum uisibile. 24.
Sacramentorum autor solus Deus. 3.a.16.b. 19.a.
Sacramentis quando non alligamur. 21.a.63. b.64.77.b.
Sacramentorum elementa non sunt adseruãda. 27.a.
Sacramentorum finis præcipuus quis. 59.a.
Sacramentorum partes diuersæ. 13.b.
Sacramentorum signa qualia sint. 22.
Sacramentorum numerus. 69.a.
Sacramentis num participent impij. 14.a.
Signa sunt rerum præteritarum, præsentiũ, & futurarum. 23.b.63.b.
Signum uisibile habet quodq; sacramentum. 23.b.
Signum sacramentorum debet habere Dei uerbum, & Deum autorem. 29.a.63.
Signa sacramentorum elementa quomodo dici possint. 24.b.25.26.
Signorum sacramentalium quanta dignitas. 29.b.
Signa sacramentorum nuda non sunt. 67.b.

Signum in Sacramentis non res sed actio est. 24,a,25,26,27,28.
Synecdochæ usus in scripturis.11,b.

T

Testamenti uox quid in cœnæ argumento significet.112.
Tonsura papistarum.99,b.
Traditiones humanæ uitandæ in causa religionis.101,a,102,103.
Transubstantiatio quomodo nata.35,b,36.

V

Vbiq; non est corpus Christi:132,a,b,133.
Verba cœnæ quæ & quomodo interpretanda.104.a.
Vnio Sacramentalis.120.b.
Vnio Sacramentalis quid & quomodo uariè exposita.3.b.4.38.b.39.
Vnio Sacramentalis cum cœnæ elementis, 121.a.
Vnio Sacramentalis in ministri opere.122.a.
Vnio Sacramentalis qualis constituenda, 123.b.

Finis.

ERRATA PRÆFATIO-
nis ad pium lectorem.

Folio primo, pagina 2 linea ultima, lege. cum id sperari non posit.
Fol, 3, pa, 1, lin, 12, leg A parte & sine, &c.
Foli, 4, pag, 2, lin, 10, leg, quod postea (ubiq; adde). apud alios, adeoq; &c.
Fol, 6, pagi, 1, lin, 8. & charitate Christiana
Eod, pag, 2, lin, 1, in Ecclesia obsignent.
Eod, pag, 2, lin, 7, & cũ ea nefandissimè dedecorasset, ornasse se illa nihilominus uideri, &c.
Fol, 8, pag, 2, lin, 1, Scripturæ consensum se inuicem.
Eod, lin, 2, analogiæ subseruit non quæ.

Errata ipsius libri.

Fol, 2, pa, 1, li, 4, leg, pio haud dubie animo.
Fol, 4, pa, 1, li, ult, non leuiter auxerunt.
Eod, pa, 2, li, 18, postea dicetur.
Fo, 5, pa, 2, li, 3, Sacramentorum dicemus, &c
Fo, 6, pa, 1, li, 12, Hieronymiq; &, &c.
Fol, 7, pa, 1, li, 4, in adnotatio, lc, Psal, 93.
Ibidem in adnota. li, 9, Matth, 26.
Fol, 8, pa, 1, li, 19, Nouerant enim inter, &c.

folio

ERRATA

Fol,10,pa,1,li,24,Qui aut inopia,&c.
Eod,pa,2,lin,16,Quatenus quidē mediator,
Eo,li,19,habere nos oportere intelligamus,
Fol,11,pa,1,li,24,Eum iam ueniæ ſpe.
Fo,12,pa,1,li,1,Beatam uiuere uitam.
Eo,li,22,Synecdochicis.
Fo,13,pa,1,li,15,Tantum eſſet ſignum.
Fo,14,pa,1,li,15,Sacramenti nomine, coniuncta inter ſeſe.
Eo,pa,2,li,8,Pro myſterio uſurpant.
Fo,16,pa,1,li,16,lege,& naturam.
Eo,pa,2,li,7,Gratiæ uocentur.
Fo,18,pa,1,li,15,Sunt poſita.
Fo,22,pa,1,li,12,Ordinariè pertineant.
Fo,43,pa.2,li,penul,accipiendam eſſe.
Fo,48,pa,1,li,11,κατ αγγελιαν non equidē
Fo.li.20,lege gloriæ communionem.
Fo,49,pa,1,li,1,collatum eſſe.
Fo,51,pa,1,li,3,nempè filius.
Fol,58,pa,1,li,7,lege,ut fictæ duntaxat.
Fol,59,pa,2,li,24,lege,Domino futuro adhuc.
Fol,64,pa,1,li,1,lege remiſſionem pertinere
Fo,67,pa,2,li,1,&,2,Myſterij attingatur, &c,ſocietatem Eccleſiaſticam,&c,
Fo,69,pa,1,li,23,Monſtrari queant.

folio

Fo,70,pa,2,lin,22,le, Manifestã significationem.

Fo,72,pa,2,li,23,le, fuisse Dei ordinationẽ.

Eod,li,25,lege, Ecclesiam pertineret: habuerit.

Fo,77,pa,1,li,22,le, In ea conquiesceret.

Eo,pa,2,li,5,le, Iuxta uocum ipsius.

Fol,78,pa,1,li,10, Exceptionibus. includeretur.

Eo,pa,2,li,17,le, Typus erat communionis.

Fo,82,pa,1,li,2,le, A uerbi & Sacramentorũ

Fo,89,pa,1,li,20,le, Ac demum cum illo,

Fo,93,pa,,2 li,ult,lege, Inter se actiones.

Fo,97 pa,1,li,16, πυραυστην uocari.

Fo,98,pa,2,li,1, Aduersarij) genere, &c.

Fo,102,pa,2,li,10, Tam in doctrina, quàm.

Eo,li,7, Si cæci essetis.

Eo,li,15, In præcio esse, &c.

Fo,110,pa,2,li,18,lege, cum alioqui unũ sit.

Fo,111,pa,1,li,21, Et unum sit atq; idem.

Fo,118,pa,1,li,23, Sine casus, &c.

Fo,124,pa,1,li,14, lege, Ad dignitatem ministerij.

Folio,126,pa,1,li,1, Ipsum dici constet.

Eodem fol.pag2.lin,11,lege, quasi ueritatis uerborum.

folio

ERRATA

Fol, 31, 1pagina, 2, lin, 7, Præsentia, imaginatio.

Fo 137, pa, 2, li, 10, lege, Esse legimus. Hæc sane.

¶ In libello Caluini.

Folio, 2, pa, 2. lin. 9. Hac de causa.

AD PIVM
LECTOREM PRÆFATIO.

AVDATVR IN Euãgelio uidua illa, quæ post multa & magna multorum donaria, duo quædam minuta ad templi ædificationem legitur contulisse. Ita & ego (etsi laudem hic nullã neq; uenor neq; expecto) uenia mihi tamen dignus esse interim uidebor: qui post tot tãq; eruditas multorum de re Sacramentaria lucubrationes, minutulum quoq; meum additio ad controuersiæ in hoc pridem argumento excitatæ pacificationem: & quidẽ ciuid mei alioqui ministerij fides uideatur imprimis postulare. Etenim in publicis Scripturarum collationibus, quas in templo, terunaquaq; hebdomade obseruare solemus, pluries incidebat: ut sumpta ex meis in Ioannem enarrationibus occasione, dum de baptismo Ioãnis Baptistæ disereremus, in totius causæ Sacramentariæ disputationem delabe

remur. Et cum uariæ multorum sententiæ (ut fit in collationibus) proferrentur: atq; alia aliis placeret: reddere me etiam doctrinæ meæ rationem ex uerbo Dei oportebat, ostenderetq;, cur ab aliis & in uerbis simul & in sententia, ab aliis uero in uerbis duntaxat, non autem in sententia ipsa dissentirem: quorum præsertim loquutiones antea sequutus essem. Id porro certo aliquo ordine facere non potui, nisi instituta peculiari argumenti huius totius tractatione. Huic igitur quinq; prælectiones impendimus. Et ubi eam absoluissemus, quisq; illam in scripto petere, adeoq; & Ecclesia nostra tota, à me illam flagitare cœpit. neq; postulationis huius finem faciebat, donec tractationis editionem pollicerer. Ita factum est demum, ut operam meam in edenda ea ipsa tractatione, non potuerim Ecclesiæ meæ denegare: nisi si meam fidem in meo ministerio desiderari, & à mea Ecclesia, & à multis præterea pijs & Christianis fratribus uoluisse. Optarim autem me hic eam posse adhibere moderationem, ut neminem offenderem, & rem ipsam nihilominus quam simplicissime explicarem. Sed cum id spectari non possit facile, sub ea quam

cernimus

cernimus controuersiæ in causa hac exacerbatione, & mira quadam iudiciorum præcipitatione: illud saltem pios omnes meminisse uelim: æquum non esse, ut qui binis aut quinis talentis Domino fœnerati sunt, alios post se, uel uno talento fœnerari, grauiter ferant. Qui ita sunt affecti, ut neminem à se suisue scholis dissentire patiãtur, ab iis amãter petimus, ut nobis ignoscant, si post Christum & eius Apostolos, nullos eiusmodi magistros in terris agnoscamus: à quibus nobis haudquaquam liceat dissentire, siquidem illos septa scripturarum transcendisse uidemus. Permittimus uero illis etiam, ut ficubi nostra non probant, ea cãdidè sine conuicijs, in lenitate, mansuetudine, & libertate Christiana reprehendant. Satis nimirũ fuit hactenus rixarũ, satis conuitiorũ, satis & præiudiciorum. nos ab illis abhorremus omnino: & Christianos omnes abhorrere etiã oportere existimamus. Scio dici a quibusdã: satis iam a suis in hoc argumento scriptum disputatumq; esse. qui his credere assentiriq; nolint: eos pro refractarijs habendos esse. At uero & ipsos ita demum facile uicerit Papa Romanus: qui de suo primatu tyrannico, nisi

mium satis scriptũ disputatumq; esse iactat. Et hæreseos damnat, si quis non illum protinus agnoscat. Quòd si nos scripturam detorqueri à Papa, ad primatus sui confirmationẽ: & proinde ipsius præiudicia nobis contẽnenda esse non dubitamus? Idem sane & in Sacramentaria hac controuersia dici posse, cogitare debemus. Proferuntur una ex parte scripta? At uero eadem alteri quoq; parti non desunt: & quidem pari studio, eruditione, & grauitate conscripta. Prætenditur Ecclesiarum iam restitutarum consensus? Vtinã uero tantus sit, quantus esse dicitur. Et ut sit: totidem rursus Ecclesias etiam restitutas, ab altera parte stare uidemus, tametsi hinc doctrinæ ueritas æstimari, nec debeat nec possit. Sunt qui dicant, aliud nihil agi multis disputationibus, nisi dissidia seri? Id equidem uerum est, si aut nulla in disputando adhibeatur moderatio: aut in tuendis quisq; suis, suam etiam, non autem Dei gloriam quærat. Cæterum si ita inuicem erga nos affecti simus, ut alij alios in Christiana charitate toleremus: & sicubi abinuicem fortè (uerbi diuini uariè expositi autoritate moti) ita dissentimus, ut utriq; interim ex animo

mo cupiamus minui cum Ioanne Baptista, modo ut per nostram ignominiam, Christi Domini gloria propagari in eius Ecclesia possit: Sanè parum se æquos iudices esse declarabunt, qui talibus nostris disputationibus, aliud nihil quàm lites & dissidia aliputabunt. Quodq; ad me attinet. Ego aliud nõ dicã, quam Deum esse animi (hac in parte) mei, & testem, & iudicem: quòd in tractatione ista mea aliud non quæram quàm gloriam Christi, quòdq; non aliam ullam ob causã doctrinam hic meam, apertà, & sine ullis uerborum latebris, aut inuolucris profiteor & defendo: quàm quòd ea, uim, meritum, ac dignitatem mortis & sacerdotij Christi omnium maxime commendari illustrariq; in eius Ecclesia inducitato credo. paratus interim discere meliora: quæ claris ac mutuo sibi consentientibus scripturæ testimoniis cõprobarentur. Qui uero receptas pridẽ quasdam dicendi formulas in causa hac Sacramẽtaria ita urgẽt, ut sibi nulla prorsus ratione ab illis discedendum esse arbitrentur: eos ego utiq; doctrinæ illius Apostolicæ rationem habituros esse non diffido. Prophetiam ne aspernemini: Omnia examinate: quod est

bonum retinete. Non est quidem temerè re-
cedendum a receptis loquutionibus: quæ &
lucem alioqui doctrinæ ipsi addunt, & eius
consensũ, uelutifrena quædam retinent. Sed
est rursus cauendum etiam, ne ita nostrum
ipsorum consensum propugnemus: ut alijs
post nos aditum omnem ad illustrandam ad-
huc magis ac magis doctrinæ puritatẽ præ-
cludere uelle uideamur. Ex parte nimirum
adhuc omnes cognoscimus: Ex parte & Pro-
phetamus: Et proinde æquum est, ut & alijs
post nos Prophetiæ ipsorum partem, ne in-
uideamus, nedum præripiamus. Videmus re
ipsa, multa nũc tradi longè quam antea fæ-
licius: mutatis uidelicet non paucis ueterum
loquutionibus, quæ longo alioqui tempore
obseruatæ in Ecclesia fuerunt. quasanè in
parte Academiæ Vitenbergensi plurimum
omnes debemus. Ita uero fieri etiam adhuc
potest: ut mutatis rursum & nostris quis-
busdam dicendi formulis, pleraq; multo cla-
rius, quam hactenus sunt tradita, explicen-
tur. Aderit proculdubio alijs quoq; post nos
Spiritus sanctus in Christi Ecclesia, quem-
admodum & nobis, nostrisq; maioribus ad-
fuit: qui donorum suorum gradus nobis in-

cognitos

cognitos, incrementaq; nobis incognita habet. Et cum omnia tendere adhuc ad perfectionem uideantur: equidem haud scio an nostrum sit, gradus ac incrementa donorum suorum, intra nostras dicendi formulas, ueluti intra septa quædam concludere uelle: perinde atq; ille pro eo ac uult, quando uult & per quos uult, spirare non possit. Non laxo frena serendis nouis dogmatibus: ornandi illustrandiq; eius fundamenti libertatem tueor, quod semel est positum: quodq; Spiritus sanctus in maiorem adhuc lucem indies producere non cessat. Quid quod Paulus Apostolus in una Ecclesia, alios post alios, prophetare iubet: uultq;, ut tertijs aut quartis loquentibus, priores taceant? Cur enim idem etiã in Catholica Christi Ecclesia alijs post alios non liceret: quod in uno aliquo Ecclesiæ cœtu Paulus permittit? An non in Catholica etiam Ecclesia, perinde atq; in uno aliquo ipsius cœtu, Prophetarum spiritus, Prophetis alijs subiectos esse oportet? Quare inique faciunt, qui in causa quoq; hac Sacramentaria, libertatem post se alijs Prophetãdi adimere, suis præiudicijs conãtur. Et sine causa scindunt Ecclesias, quas

maxime coniunctas in omni lenitate, tolerantia ac mansuetudine esse oportebat. Taceo hic probra, conuicia, execrationes: etiam in eos, qui ne uerbulo quidem admoniti unquã fuerunt. Possem hic proferre aliquos, in quos mea, leuia quidem illa (pro nostra tenuitate) sed tamen amica extiterunt officia: & qui uinculum fraternitatis Christianæ nobiscum, dextrarum coniunctione sunt contestati. qui tamen sibi à traducendo apud alios, adeoq; & proscindendo meo nomine (solam duntaxat hanc ob causam Sacramentariam) temperare non potuerunt: cum alioqui apud me, quod dicerent, nihil omnino haberẽt. Sed bene habet, quòd Christũ ipsummet iudicẽ habeamus, non homines: quòdq; illo aperiente, nemo alius nobis aditũ ad ipsũ intercludere potest. Interim uero pacem cũ omnibus optamus: & ueniam petimus, sicubi quem forte offendimus, uicissimq; omnibus, qui nos ullo modo offenderunt, in Domino condonamus. Et petimus ne id nobis uertatur uicio, quòd in causa hac Sacramentaria à nonnullis nostri sæculi doctoribus (quos nihilominus ut columnas Ecclesiæ Christi ueneramur) aliqua ex parte dissentimus. quòd

q; item receptas quasdam, in causa hac dicē di formulas (quo res planius exponi posit) non omni ex parte retinemus. præsertim cū incolumi Christi Domini dignitate & gloria, unanimē totius scripturæ mentem ac cō sensum sequamur: & extra illius fontes nihil omnino doceamus. Nemo sane è ueteribus Ecclesiæ (post Apostolos) doctoribus, tantum sibi arrogauit: ut non liberam omnibus post se potestatem esse uoluerit, cū formulas suarum loquutionum mutandi, tum à se dissentiendi etiam: si cubi sua, uerbi Diuini autoritate, non satis quoquomodo approbata esse uiderentur. tantū abest ut & nunc sui quisquam nominis autoritate premere alios, etiam extremos in Ecclesia possit, quod ad doctrinam quidem imprimis attinet: nisi si quis in sua uocatione parem sibi cum prophetis atq; Apostolis autoritatem arrogare ita præsumat, ut protinus suis omnibus Pythagoricum illud, αὐτὸς ἔφα acclamari uelit. At uero nos hunc honorem soli CHRISTO Domino, in propheticis duntaxat & Apostolicis literis (Augustinum sequuti) deferimus: quas fundamenti alioqui loco in Christi Ecclesia (iuxta Pauli doctri-

nam) habemus. Aliorum autem omnium & scripta & dogmata omnia, ad illos, uelut ad Lidium lapidem, reuocanda esse existimamus. Atq; sanè præclarè dictum est à Philippo Melantone Doctorum nunc omnium hauddubie facile Principe: Ecclesiam uerbi Diuini ueluti Grammaticam quandam esse. sic ut magnificè satis de summis quibusq; in Ecclesia nostri sæculi Doctoribus sentire nos arbitremur: si eos, fideles, ac præstantes etiam uerbi Diuini interpretes & Grammaticos esse dicamus. etiamsi humanum quiddam in illis alicubi fortè deprehendamus. Prophetis autem atq; Apostolis eos (cum hi ad iacienda omnis sanæ doctrinæ fundamenta peculiariter sint electi) minimè æquemus. Porrò si olim (post primos & secundos) laudi fuit, non tertijs modo aut quartis, sed quibusuis preterea quoq; alijs, qui modo aliquid a Domino sibi reuelatum habuissent, proferre in medium suam sententiam, etiamsi ab alijs omnino diuersa esset: Equidem ne mihi quidem uitio uertì debebit (ut nihil dicam aliud) si post aliorũ scripta, & pia, & erudita, meã ego quoq; sententiã de re tota Sacramentaria profera:

ueluti

ueluti extremus pedarius quisp̃iam, aut alioquis hoc etiã contemptior, iudicandã uideliꝫcet ex uerbo Dei, ab Ecclesia Christi: cuius ego alioqui cẽsuræ & me ipsũ & mea omnia libenter ac reuerenter submitto, ea spe interim, ut nõ dubitẽ, studiũ hoc qualecũq; meũ, pijs omnibus gratũ fore. eosq; benigne me toleraturos esse in lenitate & charite Christiana: si cubi nondũ sibi uideãt à me prorsus satisfactum esse. Agnosco meam ipse tenuitatẽ & infantiã: cupioq; discere meliora, si quis ea proferat. Proinde non offẽdar ulla Christiana, siue admonitione, siue reprehensione etiã: modo ut doctrinæ ueritas magis ac magis cõspicua fiat, & Christi D. gloria promoueatur. Hãc nos sanè ante omnia spectare oportet, siquidẽ Christiani sumus: & ad eam promouendã omni studio, cura ac sollicitudine incũbere omnes debemus. Mira fuit autẽ proculdubio Sathanæ uafricies in Sacramentorũ adulteratione, nimirũ huc spectant conatus sui omnes, ut nostrã in merito mortis Christi fiduciã animis nostris quo fuco quaq; hypòcrisi eximat. Et cũ Sacramẽta oĩa in hoc sint potißimũ instituta, ut nostrã cũ Christo communionẽ in merito mortis suæ cordibus

nostris

nostris in Ecclesie obsignent, nosq; illius fiducia, aduersus omnes Satanæ conatus communiãt? hæc sibi imprimis nostræ cũ Christo cõmunionis monimẽta inuadenda esse putauit. Ac primum inaudita hypocrisi idolum nobis in Sacramentis ipsis erexit. Et cũ ea nihilominus nefãdissimè dedecoraßet, ornaße se illa uideri uolebat. adeoq; & contemptus Diuinorũ omniũ culpã in eos cõijciebat, qui aduersus prodigiosam suam illam idololatriã uel mutire saltem ausi fuissent. Nunc uerò cum eam ipsã suam idololatriam consistere amplius non poße uidet, propter detectum fucum ac impostura papisticæ transubstãtiationis: aliud illi fulcrum rursus quærere modis omnibus conatur. ut etiamsi omnis de transubstantiatione imaginatio omnino reijceretur: haberet ipse tamen, quo suam idololatriam communiret. mutatam quidem illam, neq; cum tantis blasphemiis coniunctã, sed quæ interim naturam & ingenium Sacramentorum non leuiter obscuret: & ad creaturæ adorationem nos etiam quodãmodo manuducat. nempe realem substantiæ corporis & sanguinis Christi naturalis cũ elementis Sacramentorum connexionem.

qua

qua alioqui retenta, nondum sibi omnem idolatriæ speciē eripi posse uidet: etiamsi illi pereant usurpatæ hactenus propitiatoriæ, aut (quemadmodum uocari nunc demum cœperunt) applicatoriæ oblationes, & earum nundinationes. Ac quemadmodum aliàs nihil non intentauit transubstantiationis oppugnatoribus: ita ubi hanc periclitari uidet, nihil omnino prætermittit, quod ad grauandos eos omni inuidia, calumniis, & suspitionibus quo quomodo pertineat: qui realem illam substantiæ corporis & sanguinis Christi naturalis cum elementis Sacramentorum connexionem uerbi Diuini autoritate oppugnare conantur. Ita sanè initio renascentis in Germania pridem Euangelij Christi, plerisq; Lutheri omnia ferè placebant: si nō Papisticam illam transubstantiationem attigisset, nimirum hac retenta, Deus ille Mayzim, in quo est positum robur omne ac præsidium tyrannidis Antichristianæ, in pretio futurus erat. Cæterum attacta transubstantiatione, ibi uero Lutherus ipse, Diuinorū protinus omniū contemptor haberi cœpit: donec fucus & impostura transubstantiationis plenius cognita esset. Cum tamen uir ille

le Dei, ueram hauddubiè dignitatem Sacramento Cœnæ Dominicæ (pro donorum suorum mensura) restituere: magicasq; ab illo præstigias omnes propellere modis omnibus conaretur. Ita & nunc nihil non arripitur, ad traducẽdos & proscindendos eos, qui agnoscere nolunt realẽ illam substantiæ corporis & sanguinis Christi naturalis cum cœnæ Dominicæ elemẽtis cõnexionẽ. Sed quẽadmodum Lutheri doctrina plausibilior est uisa, post detectũ fucũ transubstãtiationis: ita nostram quoq; doctrinã, post agnitã cõnexionis istius superstitionem, gratam pijs omnibus fore haudquaquã dubitamus. Hanc uero nõ attinet multis hic prosequi: quãdoquidẽ in ipsa tractatione plenius exponetur Illud tamẽ dicã, minorem mihi semper uisam eße Sacramentariã hanc controuersiã: quã ut propter illã, Ecclesiæ Euangeliũ Christi profitentes scindi, aliq; ab alijs iudicari, & diris omnibus debuerint deuoueri. Sed hic meminiße debemus, homines nos omnes eße: & proinde potuiße falli & fallere. Quod si alij peccauimus in alios: mutuo nobis omnia cõdonemus. Et cõiunctis animis, quæ pacis sunt, in Domino sectemur. Si de mysterijs Sacramentorũ constet: quorsũ attinet tantope

ue de ſignis Sacramentorũ aut illorũ elemẽ
tis digladiari? Nõ temere ſanè Deus, myſte
rũ omnium Sacramẽtorum, æternũ atq; im
mutabile eſſe uoluit: cum ſigna atq; elemẽta
in illis, mutata, nonnunquã etiam intermiſſa
eſſe uideamus. nimirũ ut in myſterij potius,
rei uidelicet æternæ ac cœleſtis: quã in ſig
norũ aut elemẽtorũ, mutabilium ac terreno
rũ obſeruatione uerſemur. Et ſi de myſterijs
Sacramẽtorũ conſentimus: ne propter uariã
ſignorũ elementorũue cõſiderationẽ, uiole
mus Chriſtianam concordiã & ſotietatem.
Duo ſunt potißimũ, quorum nomine accuſa
mur: dũ non recipimus realẽ illã cum elemẽ
tis Sacramentorũ, ſubſtãtiæ corporis & ſã
guinis Chriſti naturalis cõnexionẽ. Primũ
quòd in uerbis cænæ illis ſolẽnibus ueritatẽ
Chriſto D. abrogare uidemur. Deinde quòd
(eleuata Sacramẽtorũ dignitate) adimimus
ſũmã illã cõſolationẽ toti Eccleſiæ, qua Chri
ſtus Dominus per corporis & ſanguinis ſui
participationẽ, nos in ſe, & ſe in nobis eſſe
teſtatur. At uero nos oſtendemus (per Dei
gratiã) ueritatem ipſam uerborũ cœnæ, non
uiolari doctrina noſtra: ſed cõfirmari: adeoq;
& cõmonſtrari. ea nãq; demum eſt uerborũ
Chriſti omnium ipſißima ueritas: quæ unas

mis

nimem totius scripturæ consensũ se inuicem explicantis retinet, & fidei Analogiæ subseruit: non quæ ex ipsis uerborũ duntaxat apicibus petita, pugnas in scripturis gignit. Ostẽdemus item ueram animarum nostrarũ cõsolationem illã, qua Christus, nos in se, & se in nobis, esse testatur: doctrina illa realis cõnexionis nõ leuiter obscurari, ne quid aliud dicã: uostra uero doctrina, omniũ maxime cõfirmari & illustrari, nedũ ut horũ culpa ulla quoquomodo teneamur. Id uero ubi palã factum fuerit: speramus nos æquiora omnium iudicia habituros esse. Deus opt. Max. qui non dissidiorum sed pacis Deus est, regat nos omnes per Spiritum sanctum suum, ut idẽ omnes, & sentiamus, & loquamur. ad gloriam adorandi sui nominis, & Ecclesiæ suæ ædificationem. Amen.

BREVIS

ET DILVCIDA DE SACRAmentis Ecclesiæ Christi tractatio, in qua & fons ipse, & ratio, totius Sacramentariæ nostri temporis controuersiæ paucis exponitur: naturáq; ac uis Sacramentorum compendio & perspicuè explicatur, per Iohannem à Lasco, &c.

QVSAIPSA SAcramentaria in sese non tam est difficilis: quàm illam humanæ quædam argutiæ, & inuectæ præter mẽtem Christi Dominũ interpretationes, difficilem reddiderunt. cum enim Dominus ipsemet, ex omnium maximè uulgari hominũ more signa sibi delegerit suorum Sacramentorum: dubiũ sanè esse non potest, uulgariter illum, & proinde plane etiam ac perspicuè uoluisse nobis patefacere, ac uelut ob oculos nostros ponere, cælestia gratiæ in nos suæ mysteria,

non autem ita inuoluere, ut à nemine intelligi posſent. Sed cum ea sit nostra omnium corruptela, ut quæ uulgaria faciliáq; sunt, præ ijs ferè contemnamus, quæ rara, sublimiáq; & cognitu difficilia esse uidentur: putarunt plerique pij, alioqui & eruditi homines, ad tuendam Sacramentorum dignitatem plurimum momenti habiturum esset si externis etiam Sacramentorum signis eorumue Elementis, quæ sensibus nostris exposita essent, aliquid eiusmodi tribuerent, quod rarum, sublime, cognituq; difficile, & miraculosum adeò uideri posset. cogitabãtq; ea in pretio semper fore, quæ rei sublimitate animos omnium quodammodo raperent in sui admirationem.

Ita sanè e patribus quidam, mutationẽ nobis quandam in elementis Sacramentorum constituebant, non quidem eam, quam in Papatu uocant transubstantiationem: sed quæ acceßionem quandã in elementis sacræ iam actioni adhibitis, designare uolebãt. nempè ipsam mysteriorum cælestium significationẽ atq; adumbrationem. cũ aliàs nuda prorsusq; uulgaria elementa essent.

Et uisa est tunc non esse inutilis ratio hæc com-

commendandi dignitatem Sacramentorum in Ecclesia Christi. Sed intra hos fines continere sese nõ potuit humana ratio. quodq; Patres olim sancti (pio haudaubie animo) statuerũt ad commendandã populo Dei Sacramentorũ dignitatẽ: id paulo pôst in Papatu detorqueri cœpit, ad prodigiosam Sacramẽtorum profanationem: ad obscurationem meritι mortis Christi, & inauditam antea uniuerso orbi idololatriã, quam nunc demum à Papa & suis cornibus tanta crudelitate propugnari uidemus: ut omniũ tyrannorum qui unquam fuerũt, truculentiam longo interualla superare uideatur.

Et quidẽ non defuere unquã, qui fucũ ac impostυras in Papæ idololatria animaduerterent: alij sanè clarius, alij uero obscurius, iuxta sui quisq; doni mensuram. Sed pars maior (ut fit) meliorem semper uincebat. Et eò tandem ueνtum est: ut nullũ atrocius crimen haberetur, quã si quis aduersus Papisticã in Sacramentis, potissimum autẽ in pane cœnæ, idololatriam, uel mutire tantũ ausus fuisset.

Interim tamen fieri non potuit, quin sese uictricis alioqui ueritatis lux quædam subinde ita exereret, in ipsis etiam carceribus,

flammis, ac cruciibus: ut sola tyrãnidis impos
tẽtia supprimi nullo modo posset. quæri igi
tur oportebat aliud consilium, ad stabilien
dam inuectam semel idololatriam: ne sola ty
rannide res geri uideretur. neq; aliud spe
cioſius consilium potuit reperiri, quam ut
modus aliquis inueniretur coniungendi res
Diuinas rebus terrenis: hucq; demum obuia
quæq; scripturæ loca, quocunq; tandem mo
do detorquendi: sic enim uideri poterant, res
Diuinæ, adeoq; & Deus ipse, in terrenis re
bus adorari, non tantum posse, propter mu
tuam inter sese coniunctionem: sed etiam o
portere, propter adiunctam scripturarum
autoritatem. quæ etiamsi non esset solida,
propter locorum deprauationem: tyranni
dis tamen adminiculo communiri posset.

Hic uero non dormist Satan, & eiusmo
di sidera istius idololatriæ commentus est. ut
piorũ etiam animos præstigijs (hac in par
te) suis perstrinxerit, atq; etiamnum per
stringat. Orsus q; a ueris principijs, quo
fraudulentius rem ageret: sel protinus suũ,
melli (quod dicitur) admiscuit. multosq; de
mum excitauit: qui inuectam idololatriam,
scripturarum etiam (si Deo placet) testimo

nijs

nijs constabilirent & ornarent.

Ac primum quia discerni oportebat signa Sacramentorum à reliquis signorum generibus, propter Diuinam institutionem: hinc sumendum erat initium erigendæ huius idololatriæ. Negari non potuit neminem alium eius gratiæ signa instituere potuisse: qua sub morte æternam in Ada condemnati, ad uitam rursus in Christo restituti sumus: nisi ipsum Deum quemadmodum & uocale eiusdem gratiæ testimonium (quod quidem fallax non esset) nemo nobis alius dare potuit, nisi (qui solus uerax est) ipsemet Deus. Cum igitur Diuini huius erga nos in Christo operis, nulla quisquam alius signa (ueracia præsertim) instituere posset, nisi ipsemet Deus: atq; is per filium suum quædã instituit in sua Ecclesia: merito ea sanè obseruari, atq; ab omnibus aliis signorum generibus discerni debebant.

Cæterum in statuendo hoc ipso discrimine, satis non erat omnibus, eam adhibuisse signis Sacramentorum significationis mysticæ accessionem, quam Patres olim mutationem uocabant: nimirum omnia etiam signa alia, uim significandi habebant. Et sola sig-

 nis

significationis accessio. quantumuis ea in signis Sacramentorum, aliorum signorum significationem longè superaret: non tamen sufficiebat ad erigendam eam, quam Satan meditabatur idololatriam. quærendaq; adhuc erat alia uia, ad instituendam idololatriam, ad quam mutatio illa in elementis Sacramentorũ à Patribus quibusdam constituta, sufficere non uidebatur. tametsi ne illa quidem inducta à Patribus in Sacramentorum Elementis mutatio, ad causam ipsam Sacramentariam magnopere uideatur pertinere: quemadmodum id suo loco clarius apparebit.

Cœpit igitur signis Sacramentorum tribui uis quædam, non tantum significandi adumbrandiq; res Diuinas, sed etiam in se continendi, atq; demum etiam exhibendi utentibus: siquidem sola significandi uis, nullum omnino discrimen inter Sacramentalia, & alia quæuis signa facere uidebatur. Et ut ad tribuendam eiusmodi uim signis hisce Sacramentalibus, probabilis aliqua ratio reperiri posset: Vnio quædam in signis Sacramentorum, Elementisq; illorum, cœpit cõstitui. eaq; demum uarie exposita, omnibus

bus (quæ nunc uidemus) diſſidijs in re Sacramentaria, occaſionem dedit.

Atq; ſanè dubium non eſt, reſtè in Sacramentis ipſis, unionem quandam conſtituí, quæ illis ſolis ſit propria: quatenus quidem ſigna Sacramentorum ſola, ſunt myſtica ſigna, ſalutis noſtræ in Chriſto. Cæterum in exponenda eius ipſius unionis ratione, ita uariatum eſt hactenus: ut res demum in contentionem exierit, quæ Eccleſiam (ut uidemus) grauiſſimè perturbauit.

Atq; alij quidem eam ipſam Vnionem, in ſignis Sacramentorum, hoc eſt, in externa actione miniſtri, ſeu ceremonia, ut eſt à Chriſto Domino inſtituta. Alij uerò in ipſis ſignorum elemẽtis, hoc eſt in rebus, quæ actioni adhibentur, cõſtituere uoluerũt. Et qui in actione illam ponebãt, ad miniſtri opus eã referendã eſſe putarũt: propter miniſterij Eccleſiaſtici efficaciã & dignitatẽ. Qui uerò illã in Elemẽtis ipſis cõſtituebãt: horũ alij trãſubſtãtiationẽ, alij euaneſcẽtiã ac demũ ſucceſſionẽ, alij uerò cõnexionẽ proferebãt. Huc demũ accеſſerũt etiã præcipuarũ in re Sacramentaria uocũ uariatæ uſurpationes: quæ dogmatũ controuerſiã nõ leuiter anxe-

tum. Sic uox ipsa Sacramenti uariè usurpata, multa & grauia dissidia peperit: dum alij a pijs æquè atq; impijs Sacramenta percipi docent, alij uero negant. dum item alij docent, alij uero negant, Sacramentis, quod significatur, ipsis etiam credentibus exhiberi. Hæc sanè doctrinæ dissidia nata sunt, ex uariè usurpata uoce Sacramenti: quæ si ad unum eundemq; modum ab omnibus usurpata fuisset, nunquam nobis tanta doctrinæ dissidia peperisset. Sic & signi uox etiam, in causa hac Sacramentaria uariè usurpata, peperit nobis noua dissidia: ut alij signis Sacramentorum uniri uerè doceant, ipsorum mysteria: alij autem negent. quod quidem facilè dignosci potest, si usurpationis uarietas in signi uoce tollatur, quemadmodum suo loco postea docetur.

Ita ex uariè proposita unione illa Diuinorum mysteriorum in Sacramentis: ex uariè item usurpatis præcipuis quibusdam in hoc argumento uocibus, natas & auctas esse uidemus controuersias omnes in Christi Ecclesia: quòd quidem ad causam hanc Sacramentariam attinet. Ad quas equidem controuersias, uel tollendas, uel quoquomodo com-

componendas haud scio an melior ullus alius modus reperiri poßit: quam si earum fontes ipsi diligenter excutiantur, & cognoscatur, quænam sit uera ac legitima unionis illius controuersæ ratio: quæq; item uocum uariè in hoc argumento acceptarum, uera, propria ac legitima usurpatio, constituta enim & unionis uera ratione, & uocum uariatarum propria significatione, facilius multò cógnoscetur, ubinam aberratum sit à scopo; atq; ita demum facilius etiam controuersiæ hac in parte omnes, uel componentur uel refellentur.

Quia uerò perspicuitatem cuiuslibet orationis peti ante omnia oportet ex uocum iusta legitimaq; significatione: ne terminorum uarietas, aut sententiam orationis obscuram ambiguamq; reddat, aut uitiosam alioqui faciat in doctrina approbanda ratiocinationem: uox ipsa Sacramenti nobis ante omnia explicanda erit. quæ uariè hactenus usurpata multis & grauibus dißidijs (ut diximus) occasionem dedit.

Primum igitur uocem Sacramenti explicabimus, ut constet qua de re acturi simus: ne uocis uariè usurpatæ ambiguitate sentē

tiam nostram de tota hac causa Sacramẽtaria inuoluamus. Deinde uerò de generibus Sacramentorum dicamus. Et hoc Sacramentorum genus, de quo potissimum tractationem nostram instituimus, ab alijs discernemus: atq; in unam classem quandam reducemus. Postea autem partes omnes eius generis Sacramentorum ordine suo pertractabimus: ubi demum & de controuersa illa Sacramentali unione dicetur. Exponetur præterea finis præcipuus omnium Sacramentorum: ad quem omnia referri imprimis oportet, in Sacramentorum consideratione. Et partes ipsæ Sacramentorum omnes in singulis Sacramentis ordine commonstrabuntur, atq; ad eum ipsum finem referentur. Ad extremum uerò de cœna Domini agetur: & exorta circa illam controuersia omnes (per Dei gratiam) diſcutientur. Oro autẽ Deum opt. max. ut pro Diuina sua bonitate & misericordia, mentem hanc omnia moderetur & gubernet: ad gloriã sancti sui nominis, & Ecclesiæ suæ pacificationem. Oro item & pios omnes, ut si cui forte non satisfaciam omnino, is sibi existimet tolerandam esse nostrã infirmitatem in charitate Christiana: nosq;

amans

amanter admoneat. ut omnes intelligant, nõ nostram a nobis (quæ nulla est) sed Dei potissimũ gloriã in nostris hisce disputationibus quæri: illi enim soli debetur omnis gloria: qui suam alioqui uim Diuinam in nostra infirmitate exerit & illustrat.

Igitur quod ad uocẽ Sacramenti attinet: ea sanè uariè usurpata, etiã a Patribus ipsis: magnam multis controuersijs occasionẽ dedit. Cœpit autem Sacramẽti uox, ad Diuinas institutiones accommodari, circiter Ambrosij ferè Hieronimiq; & Augustini tẽpora: adderẽ & Cyprianũ, si titulus contionis de cœna D. apud illum, suspectus non esset: atq; iã tũ etiã ab ipsismet Patribus uariè usurpari cœpit. illi enim nihil de nostris suspicati cõtrouersijs, cũ inter sese de causa ipsa cõsentirẽt, & eam alioqui in se facilẽ perspicuamq; esse uiderẽt, non usq; adeò de uocibus ipsis huic argumẽto familiaribus solliciti fuerũt. Et proinde ipsã etiã Sacramẽti uocẽ uariè usurparũt: atq; aliâs quidẽ sub Sacramenti nomine, signũ ipsũ externũ: aliâs uero signatũ (ut uocãt) seu signi mysteriũ: nõnunq; autẽ utrunq; simul coniunctum intellexerũt.

Neq; uerò sibi nõ cõstabãt Patres ipsi: sed uocẽ Sacramẽti usurpabãt uel pro argumẽti,

quod

quod tractabant ratione, uel pro affectibus auditorum, unde demum factum est, ut in ipso etiam argumento Sacramentario uox hæc uariè usurparetur: & doctrinæ dissidia gigneret.

Apud Ambrosium in libris de Sacramentis (si modo sunt Ambrosij) non raro uox Sacramenti pro signo duntaxat externo accipitur, quemadmodum & apud Augustinũ, qui disertis uerbis aliud esse dicit Sacramẽtum: aliud uero rem ipsam seu uirtutem Sacramenti. Atq; rursum docet, Iudam proditorem è Domini manibus Sacramentum sumpsisse: rem uero, seu uirtutem Sacramẽti non sumpsisse.

In cap. Io 6. Tract. 26.

Rursum uerò apud eundem ipsum Ambrosium nõ paucis locis uox Sacramenti accipitur, non iam pro signo externo ullo: sed pro arcano seu mysterio consilij Diuini. Et super Pauli Apostoli uerba illa: Habentes thesaurum hunc in uasis fictilibus. &c: disertè ait, Thesauri uoce designari nobis, Dei in Christo Sacramentum, quod credentibus manifestatur: & quæ huius similia apud illum reperiuntur.

In. 4. cap Lucæ sup uerba illa. Et multi erãt leprosi tẽporibus Helisei.

In. 2. Cor 4. cap.

Itidem uerò & apud Augustinum est uidere.

dere non paucis locis: etiamsi in argumento Sacramentario uocem Sacramenti pro signis ferè externis soleat usurpare, potissimum uerò ubi scripturarum Sacramenta quædam quandoq; nobis claudi docet: non ut denegentur (inquit) sed ut pulsantibus aperiantur,

In principio præfationis, Psalm. 23

Apud Hieronymum sanè non tam est frequens usus uocis Sacramenti: sed passim ferè pro mysterio usurpatur. ut dum ea, quæ minima etiam in lege esse putantur: plena interim Sacramentis spiritualibus esse docet. etiamsi alicubi uocem Sacramenti pro signo externo usurpat: ubi Panum propositionis oblationem typicam, Sacramentum uocat.

In cap. 5 Matth.

In Malach. 1. sup uerba illa offertis sup altare meũ panẽ pollutum.

Ita ijdem ipsi Patres, sub uoce Sacramenti, nõnunq̃ signa externa intelligũt. nonnunquã uerò, ipsa Diuini consilij mysteria seu arcana. etiamsi Augustinus in causa præsertim Sacramentaria pro signo externo ferè uoce Sacramenti (ut dictum est) uti solet.

Cæterum alij Patres rursus uocem Sacramenti usurpant, pro coniunctis simul & signis externis a Domino institutis & pro internis

ternis ac ſpiritalibus myſterijs, quæ per ſigna externa repræſentantur.

Ita Irenæus, Euchariſtiã duabus rebus cõſtare docet: cæleſti, ac terrena. Sub re terreſtri deſignans, ſignum externũ ac uiſibile: ſub cæleſti autẽ re, ſpiritale ac inuiſibile myſteriũ, quod ſigno illo externo adumbratur.

Lib. 4. aduerſus hereſes. cap 34.

Ita Chryſoſtomus in baptiſmi & cænæ Sacramento, ſenſibilia, ab ijs, quæ mente percipiuntur, diſcernit: & interim utraq; tamen coniungit, atq; in opere ſenſibili a Domino inſtituta, uult etiã τὰ νοητὰ obſeruari.

Hom. in Matt. 83

Ita & Hieronymus ipſe in cænæ Sacramento, pane prolato, in cibũ ueritatem corporis & ſanguinis Chriſti repræſentari docet. nimirũ ut cænã Domini nõ ſigno tantũ externo, ſed & interno ac cæleſti myſterio conſtare intelligamus.

In Matth. cap.

Sed omniũ clariſſimè id docet Ambroſius: qui de baptiſmo diſſerens, aliud eſſe teſtatur. quod uiſibiliter in baptiſmo agitur, aliud uerò quod inuiſibiliter celebratur. Et mox uelut naturã ipſã Sacramentorum explicans: Neq; idem eſt (inquit) in Sacramẽto, forma, quod uirtus: cũ forma, humani miſterij adhibeatur obſequio, uirtus uerò

Tom. 3. Epiſt. 85 ad demetriadem uirginẽ. in medio fere.

per

per diuini operis præstetur effectum. Hæc ita Ambrosius, quibus manifestè docemur. Sacramenta, & signo externo, quod ipse formã uocat: & cælesti pariter mysterio cõstare, quod ipse, uirtutem, appellat.

Quin & Augustinus idẽ ferè sẽtire uidetur, etsi diuersis nonnihil uerbis utatur: dũ de Mãna & altari in uetere Ecclesia loquitur. Sacramenta (inquit) illa fuerunt: in signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sũt. Hic sanè Augustinus ipsemet duas Sacramenti partes facit: nempè signum, & rem quæ significatur. iuxta quarum alterã Sacramenta diuersa eße docet, nempè iuxta signum externum, seu formam. iuxta rẽ uerò, quæ significatur, paria siue eadem. In cap. Io 6. tract 26. post medium.

Hæc porrò usurpationis in uoce Sacramẽti uarietas, inter Patres sanè ipsos nulla pariebat dißidia. nouerunt enim inter se naturam ac uim omnium Sacramentorum: Et Synecdochicas ac Metonymicas eius temporis loquutiones. facilè inuicem agnoscebant. in quibus sibi quandoq; etiam plus sanctis permittebãt. ut qui de nostris nũc cõtrouersijs Sacramentarijs nihil omnino cogitarent: sed huc potißimũ spectarẽt, ut Diuinæ

instis

institutione, suam dignitatem in CHRISTI Ecclesia obtinerent. id quod ea ipsa apud eosdē Patres usurpationis in uoce Sacramenti (concors interim) uarietas manifestè testatur. nempè quòd, si quando in eiusmodi auditores incidissent, qui signa externa Sacramentorum ueluti prorsus inutilia contemnerent: Vocem ipsam Sacramenti ad ipsa signa referrent, ut ea à contemptu uindicarent. Ac rursum, si quando cum illis ageret, qui toti in signorum duntaxat administratione hærerent: Vocem Sacramenti ad ipsa mysteria trāsferrent. Sed tamen aliquando etiam utraq; hæc in uoce Sacramēti coniungerent: ut ueram Sacramentorum rationem ac naturam interim commonstrarent.

At uero concors illa Patrum in usurpāda uoce Sacramenti uarietas, non leuia nobis dissidia peperit postea: dum quæ illi συμβολικῶς, aut μεταφορικῶς dicebant, nudè ac simpliciter exponi cœperunt. Et non in Sacramenti uoce tantum, sed in partium quoq; illius expositione demum dissentio orta esset, quemadmodum suo loco dicetur.

Ac

Accessit autem & alia adhuc uocis Sacramenti usurpatio, recepta quidem à latinis autoribus: sed quæ ad causam Diuinarum institutionum, de quibus hic agimus, nō ita multū uidetur pertinere. nēpe quòd sub nomine Sacramenti, uinculū quoddā, seu sponsio quædam publica intelligitur, qua nos in alicuius fidem atq; obedientiam certis pactionibus obstringimus, qui nullum alios qui in nos antea imperium ea in parte habuissent. quemadmodum milites olim suis se imperatoribus obstringere, adeoq; & uesuti consecrare publico iure iurando soleb ant.

Cur autem hanc talem uocis Sacramenti usurpationē ad causam nostram non pertinere putemus: rationes paucis eius nostræ sententiæ adferemus.

Suntq; duæ potissimum eius rei causæ. Altera dissimilitudinis. Altera uerò errorū, nec leuium nec paucorum. qui facilè oriri possent, si hæc talis Sacramenti usurpatio, in causa nostra Sacramentaria, obineret.

Quodq; ad dissimilitudinem attinet. multis sanè nominibus causa nostra dissimilis est à Sacramento militari.

Primum quòd in militari Sacramento, illorum potissimum opus spectatur, qui sese imperatori suo obstringunt: nempè quòd ei sese iam Sacramento prorsus addicunt, cui antea obstricti non erant. In nostris uerò Sacramentis, non id imprimis spectandum est, quod nos agimus: sed quod Deus nobiscũ egerit propter Christum, cuius beneficiũ nobis cõmendatur usu legitimo sacramentorũ.

Deindè in Sacramẽto militari, nõ prius addicti sumus, ei, cui nos addicimus: quam nos publica illa sponsione obstringamus. In nostris uerò Sacramentis initum iam olim in Christo nostrũ cum Deo cõmunionis fœdus testamur: animosq; nostros in fide illius, spiritu sancto autore obsignamus. neq; ideo Christo Domino addicti sumus, ad illũq; pertinemus, quòd Sacramẽtis utimur: sed ideo Sacramentis utimur, quia ad Christum iam olim pertinemus.

Postremo in Sacramento militari, nullam culpã perfidiæ aut inobedientiæ agnoscimus. nedũ ut nos illius nomine quoquomodo accusemus. sed fidẽ potius nostram atq; obedientiã certis pactionibus spondemus. In nostris uerò Sacramẽtis assiduam nostrã inobedientiam

dientiã, adeoq; & perfidiã erga Deũ deplo-
ramus, cũ ſuæ interim gratiæ Diuinæ agni-
tione in Chriſto, & diligẽti illius imploratio-
ne, nimirũ Sacramenta ipſa teſtãtur, Deũ,
condonare nobis omnes noſtras infirmitates
propter Chriſtum.

Iſtæ igitur diſſimilitudines obſtãt, quomi-
nus in cauſa noſtra Sacramentaria, uocẽ Sa-
cramenti in ea ſignificatione accipiamus: In
qua apud Latinos ſcriptores acceptã eſſe ui-
demus. etianſi non negemus eſſe aliquã cõ-
uenientiã, inter militare illud Sacramentũ,
& noſtra Sacramenta. ſed quæ iſtas diſſi-
militudines conciliare non poſſit.

Quod uerò ad errores indè ſuppullulaſcẽ-
tes attinet. Primus error indè oritur, eorũ,
qui nos non prius ad Chriſtũ pertinere pu-
tãt: quã illi per Sacramentorum miniſterium
coniungamur. perinde atq; milites, nõ prius
inter milites cenſentur, q̃ ſeſe Sacramento
obſtrinxerũt. Habet autẽ error hic multas
cõmoda, Primũ abripit magnã mẽbrorũ par-
tẽ à Chriſti corpore. nẽpè infantes Eccleſiæ
omnes, qui inopia miniſterij nõ rarò ſine bap-
tiſmo moriũtur: aut neceſſitate aliqua arcẽ-
tur ab uſu Sacramẽtorũ, quẽadmodũ paulo

post dicitur. Et violat fidē Diuine promissionis in suo foedere: Ero Deus tuus, & Dominus tui &c. cū dubiū non sit, Deum, fuisse quoq; illorū Deū, qui annis quadraginta in deserto circumcisi non fuerunt: alioqui illos in terram promissionis non introduxisset. Deinde aliud nobis iam medium salutis nostræ, præter mortem Christi inducit. Quo enim Christo inseruimur, ut ad illum pertineamus nisi id sanè medium salutis nostræ esse, negari non potest. Esse enim insitos Christo, est uita æterna, proculdubio. Et aliud est baptismus noster, aliud uero oblatio Christi propitiatoria pro peccato. ut si mortem Christi, salutis nostræ unicum medium esse fatemur, quatenus sanè mediator unus est: Baptismum sanè iam non pro medio ullo nostræ salutis, sed pro obsignaculo potius habere nos, oportet intelligamus. nedum ut per Baptismum, primum omnium Christo Domino inseramur. Pertinemus sanè ad Christum omnes in Ecclesia ab eo tempore, quo per ipsum in Dei filios adoptati gratuito. sumus. Et adoptati sumus ante tempora æterna, quemadmodum Paulus docet. Ante tempora igitur æterna, non autem in Baptismo

primum

primum, ad Christum Dominum corpusq; eius mysticum pertinemus. Postremo error hic idolum nobis in Sacramentis inuexit. Causa enim salutis nostræ, Deus est. Et si ideo seruamur, quia baptizamur: quatenus equidem per baptismum Christo primum, atq; ita uitæ etiam æternæ inserimur. Sane baptismo, id quod solius Dei proprium est, tribuere cogemur. Et proinde idolum etiam in Sacramentis constituemus: siue nos per insitionem in baptismo, siue per reconciliationem in cœna Dominica Christo Domino primum coniungi dicamus. præterquam si insitionem in baptismo, ac rursum in cœna reconciliationē, pro uisibili Ecclesiasticoq; insitionis reconciliationisq; æternæ in Christo testimonio intelligere, modo transquitio, uelimus.

Alius error ex hac Sacramenti in causa nostra usurpatione oritur, eorum, qui sponsionem eiusmodi in Baptismo constituunt: ut si quis post baptismum, in grauius aliquod flagitium quoquomodo incurrat. cum iam illum ueniæ spe (tanquam perduellem) omnino excludant. quod quidem Donatistas olim affirmasse, & nunc rursum ex

Anabaptistis quosdam urgere uidemus.

Propter hos errores igitur, & eam, quam ostendimus in Sacramẽtis nostris & militari Sacramento dissimilitudinem, alienã planè à nostra causa esse putamus, eam uocis Sacramẽti usurpationẽ: quã in militari ſpõſione à latinis ſcriptoribus receptã fuiſſe uidemus.

Porrò inter tres priores illas uocis Sacramenti uſurpationes: etſi quælibet earũ ſuas rationes habere poſſe uideatur, poſtrema mihi tamen ad mentem ipſam ſcripturarum proximè accedere uidetur. Et plurimùm affert, ad intelligendam exactius unam & naturam ipſam Sacramentorum.

Et quidem ſcio proferri poſſe multas rationes, quibus prior utraq; uſurpatio approbari ſatis poſſit: etiam in cauſa hac Sacramẽtaria, quemadmodum id antea paulò paucis attigimus. Eſt nimirum id frequens, ut earum rerum nomina, quæ multis partibus cõſtant, uel ad præſtantiores, uel ad notiores magiſq; conſpicuas illius partes referamus. Sic homini uulnus infligi dicimus, eam uni duntaxat ipſius parti, nempè corpori (quod nobis magis eſt conſpicuum) uulnus infligi uidemus. Aeruſum, impios homines

damnas

damnatos iam, pios item beatè uiuere uitam dicimus: cũ una duntaxat ſui parte, nempè animâ (quæ uidelicet eſt præſtãtior) aut cæleſti cum Chriſto gloria frui, aut in gebẽna cruciari illos ante reſurrectionẽ credamus. Cæterum ſi natura ipſa hominis exponenda ſit: rectius proculdubio exponetur, ſi cõiũctæ illius partes omnes obſeruentur & explicentur.

Ita & in exponenda Sacramentorũ natura ac dignitate, etſi uel contemptus, uel nimia rurſũ admiratio Sacramentalium ſignorũ, poſtulaſſe id uideatur, ut uox Sacramenti, quandoq; ad ſigna, quandoq; autẽ ad myſteria Sacramentaria referretur. In explicãda tamen natura ipſa, & ui, ac dignitate Sacramẽtorũ. Rectius fuerit partes illorum ſimul coniunctas obſeruaſſe. præſertim uerò cum noſtro hoc tempore non deeſſe plurimos uideamus. partim contemptores, partim uerò etiã ſuperſtitioſos ſignorũ Sacramentaliũ admiratores: qui ſine edochicis iſtiuſmodi uſurpationibus, ad alẽda ſua diſſidia abutãtur.

Eſtq; tertia hæc uocis Sacramẽti uſurpatio omniũ certiſſima, omniũ utiliſſima, & omniũ clariſſima. tũ quòd pſpicuis nititur ſcripturæ

testimonijs, sine ulla illius cõtradictione: tũ quòd multas difficultates in causa hac exortas tollit: tum uerò etiam quòd naturam ipsam & uim Sacramentorum nobis facillimè exponit & commonstrat.

Nititur insignibus & perspicuis testimonijs: Genes. 17. cap. & Rom. 4. cap. quibus duobus locis circumcisionis Sacramentum nobis graphicè describitur. Cumq; circumcisio primum locum inter ea Sacramenta obtineat, quæ Deus (addita salutis conditione) in sua noluit Ecclesia obseruari. Cum item Abraham, typicus sit etiamnum pater nostrum omnium: ad cuius exemplum ac similitudinem Sacramenta nostra & nos hodie (quatenus sumus semen ipsius) obseruamus. Equidem eo potissimum loco Sacramenta omnia reliqua in eo genere habere debemus: quo illa loco, typico Patri nostro Abrahæ habita fuisse ex Mosi & Pauli testimonio non ignoramus.

Tam uero & Moses & Paulus, dum duplici titulo ornant ipsam circumcisionem: Duas illius partes etiam non obscurè constituere uidentur. Moses illam uocat, & signũ fœderis: & fœdus ipsum. Paulus uerò illam:

& &

& signum & obsignaculum iustitiæ fidei Abrahæ fuisse docet. Neq; dubium est eodē sensu à Mose circumcisionē uocari, & signum fœderis, & fœdus ipsum: quo sensu à Paulo, & signum, & obsignaculum iustitiæ fidei, Abrahæ fuisse docetur.

At uerò Paulus diserte docet, Abrahamum iustum fuisse habitum apud Deum, etiam ante circumcisionem. Et quoniam hæc talis iustitia fide nostra agnoscitur, petitur, & retinetur, fides uerò, in naturæ nostræ corruptela, firma semper ac solida esse non potest: Additam esse ait Paulus Abrahæ ipsi & eius semini circumcisionem: quæ illi nō tantum esse signa eius ipsius iustitiæ, qua iustus apud Deum habitus erat: quasi iustitia illa, ad illud duntaxat tempus, quo primū iustus habitus fuerat, pertinuisset. sed etiam certum obsignaculum in animo ipsius, quo ipse uidelicet una cum sua familia (autore spiritu sancto) in fide eius ipsius iustitiæ obsignaretur: quæ non tantum eo tempore ad ipsum pertinuisset, quo primum iustus reputatus esset: sed semper etiam, re uera pertineret, adeoq; & ad uniuersum ipsius semen in æternum pertinere deberet. si quis

Iam modò, destinato cõtemptu suo, à se non propulißent.

Ad hunc modũ igitur etiã Moses circũcisionẽ non tantũ signũ fœderis uocat. quasi ea fœdus præteritum duntaxat designaretur, quod expiraße fortè uideri poßet. sed eã, fœdus quoq; ipsum uocat. ut fœderis ipsius durationẽ æternã, & proindè Abrahæ eiusq; semini semper præsentẽ, aĩo ipsius obsignaret.

Dum igitur Moses, circumcisionẽ, & fœderis signũ, & fœdus ipsũ, quod signo adũbrabatur, uocat. Dũ itẽ Paulus, eã, & signũ & obsignaculũ eße docet. sitq; alia proculdubio signi, alia uerò fœderis ipsius, seu iustitiæ fidei ratio. Perspicuũ est, hac Mosi & Pauli doctrina, duas Sacramentorum partes constitui: alterã quæ significet: alterã quæ significata in animis nostris interna ac spiritali obsignatione cõfirmetur: nẽpè ut quod nobis signo Diuinitus instituto adumbratur, fœdus uidelicet Dei nobiscũ, eiusq; iustitia, quæ fide agnoscitur, sentitur, & retinetur: idipsũ etiã in cordibus piorum in Ecclesia obfirmetur & obsignetur.

Et res ipsa loquitur, signa, quæ nõ sint mystyca, sub Sacramentorũ claßẽ nõ cadere. cũ

etiã

etiã hi, qui uocẽ Sacramenti pro signis usurpant, cõstituant quandã mysterij cũ signo in Sacramentis coniunctionẽ. Ac quemadmodũ Augustinus docet, signa Sacramentalia, si nullã cũ ijs rebus, quarũ signa sũt, similitudinẽ habeãt: Sacramenta neq; esse omnino nec q; uocari posse. Ita nos rectius multò dicere nobis posse uidemur: Sacramenta nõ esse omnino, neq; uocari posse, ubi nullã mysteriorũ cum signis coniunctionem uideamus.

Et scripturæ igitur autoritate, & patrũ itẽ cõsensu, ut antea demõstratũ est. Præterea ipsa quoq; rei natura docemur: hãc esse certissimã sacramẽti usurpationẽ, ut sub sacramẽti noie cõiuncta, inter sese (suo modo) signa et mysteria sacramẽtalia cõplectamur.

Vtilissimã uero eam Sacramenti usurpationẽ esse inde facile apparet: quod per illam multæ difficultates & cõtrouersiæ in causa hac Sacramentaria sistãtur, prorsusq; tollãtur: fõtesq; præterea errorum quorundam commonstrentur.

Tollitur hac tali Sacramẽti usurpatione cõtrouersia illorũ: quorũ alij Sacramẽta etiam ad impios pertinere docent, alij negant. Qui enim sub uoce Sacramenti, & signa simul

&

& signata cõplectuntur, intelligunt, utrosq; illos uera dicere: iuxta synecdochicam usurpationẽ. ut qui sub Sacramenti uoce signum duntaxat intelligunt, uerè affirment, Sacramenta etiam ab impijs percipi. ac rursum uerè negent etiã, qui uocem Sacramenti pro altera duntaxat illius parte, nempè pro mysterio usurpent.

Tollitur & alia controuersia, eorũ, quorum alij, Sacramentis, res significatas exhiberi docent: alij uerò negant. obseruata enim nostra Sacramenti usurpatione, tam est uera eorum sententia, qui negant, si Sacramentum pro signo tantum accipiatur: quam est uera illorũ etiam, qui id affirmant, doctrina, si uox Sacramenti simul & pro signo & pro mysterio usurpetur. Sed nõ ideo efficitur tamen, signa Sacramentalia, signa exhibitiua esse: ut significando exhibeant. quandoquidẽ aliud est, Sacramentum ipsũ: aliud uerò signum Sacramenti. Et proinde quod Sacramentis tribuimus, id equidem signis sacramentalibus tribui neq; debet neq; potest.

Commonstrantur autem fontes errorũ, nec tenuium nec paucorum: hac nostra usurpatio-

patione. nam qui in cænæ Dominicæ Sacramento, transubstantiationem somniant. adimunt partem unam Sacramento, nempè signum: ipsam inquam panis fractionem. dum id quod in cæna frangitur, panem esse negent. atq; ita uiolant naturam Sacramenti in cæna.

Rursum qui ab impijs Sacramenta percipi docent, & in uoce Sacramenti nullũ schema agnoscere uolunt: horum quoq; erroris fontes in nostra usurpatione indicantur. Hi enim dum mysteria cum signis in Sacramento commiscent ac confundunt: naturam etiã Sacramentorum uiolant. in quibus alioqui cælestia ipsorum mysteria, cum signis terrestribus, nõ sanè commiscentur, confundũ turue, ut ab inuicem discerni non possint: sed spirituali quodam nexu coniunguntur, qui nõ nisi ad spirituales etiam homines pertinere potest.

Præterea & erroris illorum fontes in nostra Sacramẽti usurpatione ostenduntur: qui signa sacramentalia, id quod significant, exhibere nobis etiã docẽt. Hi enim quod totius est, uni duntaxat parti, tribuunt: & nullum interim Synecdochæ usũ in sua hac doctrina

trima agnoscere uolunt. Neq; hic eos subleuat Augustiniana Sacramẽti usurpatio. nã is in sua istiusmodi usurpatione agnoscit Synecdochã: dũ alibi Sacramẽta, signis sanè diuersa, re autẽ, siue mysterio, aut uirtute, paria eadẽq; esse docet. & proinde in Sacramento, & signũ simul, & mysterium agnoscit: quemadmodũ antea quoq; dictum est.

Duplici igitur nomine utiliorẽ reliquis esse uidemus nostram hanc Sacramẽti usurpationem. nẽpè quod per eam multa tollantur doctrinæ diſsidia: & fontes etiam multorũ errorum indicentur.

Quod autem naturã ac uim omnium sacramentorum explicet: id in eo facilè apparebit, quod singulis sacramentis, ad unum eũdemq; modũ, iuxta eorum institutionem, ordine suo applicari potest. & perspicuè docet omnia sacramenta, de quibus controuersiã extare uidemus, esse unum atq; idem sacramentum, quod ad uirtutem & misterium illorum attinet: nisi quod alia de uenturo adhuc, alia uerò de exhibito iam Christo Domino testificantur. quæ res quantum lucis adferat ad ueram sacramentorum cognitionem: id facilius uideri poterit in unius

atq;

atq; eiusdem misterij omnium sacramentorum explicatione, & singulorum inter sese sacramentorum ordine suo collatione.

Non temerè facimus igitur, si hanc nostram uocis sacramenti usurpationem aliis omnibus anteponamus, eamq; solã in nostra hac tractatione sequendam nobis esse existimemus. ut quæ & scripturarũ mẽti omni ex parte respondeat: Patribus item probetur. Præterea & tollat multa Doctrinæ disidiæ fontesq; eorum commonstret: ac ipsam uim ac naturam omnium sacramentorum planissimè exponat.

Iuxta hanc igitur usurpationem sacramenti uocem, & nos in nostra hac tractatione accipiemus. atq; generalem quandã (antè omnia) sacramenti descriptionem proponemus, quæ nos ad exactiorẽ demùm nostrorũ sacramẽtorũ definitionẽ ueluti manuducat.

Sacramentum itaq; in genere dicimus esse, Diuinam ordinationẽ, quæ duabus partibus constat: nempè signo uisibili, & inuisibili mysterio: ut fini suo, ad quem est ordinata, respondeat. sacramẽti descriptio.

Ad hanc descriptionẽ, reuocari oportet ea omnia: quæ pro sacramẽtis aut sint habita unquàm

unquam, aut haberi etiamnum debeant in Ecclesia Christi. Primum enim cum unanimi consensu omnium, qui iuxta uerbum Dei de Sacramentis iudicant, in Sacramentis signum Diuinæ erga nos gratiæ agnoscatur: adeòq; & Sacramenta ipsa passim, signa gratiæ docentur, gratiæ uerò Diuinæ testimonium, quod quidem sit uerax, nemo prorsus nobis dare possit, nisi qui & illius autor est, idem ipsemet uidelicet Deus. Equidem si Sacramenta, uerax ullum gratiæ erga nos Diuinæ signum aut testimonium complecti debeant, à nemine alio, quam eodẽ ipsomet Deo (qui solus & uerax & omnis gratiæ autor est) ordinari constituiq; possunt. Quis enim Deum uidit unquam? aut quis illi à cõsilijs fuit? Deinde cum scriptura ipsa, omnia ea, quæ pro Sacramentis habentur, inter signa numeret: & interim illis æterna gratiæ suæ dona designari doceat: quæ sint uidelicet, & præterita, quatenus iam olim nobis sunt delata, & præsentia, quatenus perpetuo exhibentur: neq; cessare unquam possunt: & futura, quatenus illorum gloriã adhuc (sub spe certissima) post nostram resurrectionem expectamus. Perspicuum

est

est, Sacramenta ipsa, non tantum signis externis, quibus dona gratiæ adumbrantur: sed ipsa etiam donorum perpetuatione, adeoq; & exhibitione constare: sed quæ tamen in ipsis signis Sacramentalibus constitui, neq; debeat, neq; possit. quemadmodum postea dicetur, & iam anteà paulo est obiter indicatum. Postremò cum Deus, nihil temerè, sed certò suo ordine agat omnia: Dubium non potest esse, quin & sacramenta omnia, cum sint ordinatio Dei, subseruire ei fini oporteat, propter quē instituta esse in scripturis uidemus. Qui uerò sit præcipuus finis omnium sacramentorum: id suo loco postea exponetur.

Videmus ergò generalem hanc sacramentorū descriptionem rectè à nobis positā esse: omniaq; ad illā, quæ pro sacramentis modò haberi debeant, referri oportere. Sed quoniam uaria sunt sacramentorū genera: quemadmodum sunt uarij etiam Diuinæ erga nos gratiæ respectus. in certa quædam genera nobis ueluti in classes quasdam distribuenda erunt.

Gratia Dei conditi sumus initio ad uitā æternam: gratia Dei & in uita hac sustentā-

mur. Et eadem etiã gratia Dei, post peccatum, ad uitam rursus æternam in Christo Domino restituti sumus. Pro hisce igitur Diuinæ erga nos gratiæ respectibus, uaria etiã Sacramenta, à Deo ipso ordinata habemus. Sic omnes creaturæ, dũ illas intuemur, dũ illis utimur, dũ earũ uicissitudinẽ obseruamus, sacramẽta sunt Diuinæ erga nos gratiæ, iuxta quã earum Domini initio conditi sumus: & usu earũ ex diuina ordinatione sustentamur. quod qui secũ diligenter perpẽdere uolunt, intelligẽt sibi omnibus Dei creaturis (tanquã Dei Sacramentis) sanctè & cum gratiarũ actione semper utendum esse, agnoscentq; impietatis magnitudinẽ, si quis illis per luxũ aut alio quouismodo, in Dei ipsius cõtumeliã, cuius sacramẽta sũt, abutatur.

Cæterum nos hic in nostra hac tractatiõe nõ de ea Diuinæ erga nos gratiæ parte agimus: iuxta quam, aut sumus initio cõditi, aut etiamnum in uita hac sustentamur. sed de ea duntaxat parte, iuxta quã in Adamo primo parente nostro sub mortẽ æternã condẽnati: ad uitam rursus æternã in Christo Domino restituti sumus. Et proinde de ijs duntaxat etiam Sacramentis agendum nobis erit: quæ restitutæ nobis in Christo Domino uitæ æ-

ter-

terne Sacramenta esse constat.

Deinde inter restitutæ etiam in Christo Domino uitæ æternæ Sacramẽta, sunt quæ dã, quæ in Dei ipsius potestate & dispositione sunt posita, neq; ullo humano opere cõstant, ut Arcus cælestis in nubibus. Et flamma olim cælestis, quæ ueterũ sacrificia absumebat. quædã uerò, quæ Deus, publico Ecclesiæ suæ ministerio, uoluit in sua Ecclesia celebrari.

Cum autẽ de eius generis sacramẽtis nulla sit controuersia, quæ in sola Dei dispositione sanè posita, neq; ullo humano opere (ulla omnino ex parte) constãt: nos etiã hic de illis nõ agemus. Sed de eis dũtaxat agemus, quæ Deus publico Ecclesiæ ministerio uoluit celebrari. de quibus alioqui etiã magnas controuersias exortas esse uidemus.

At uerò & eorum Sacramentorum, quæ in ministerio Ecclesiæ sunt posita: alia ad certas dumtaxat personas pertinent (cuius generis, sacerdotij ordo & functio in Israëlis Ecclesia erat). Alia uerò ad totã omnino Ecclesiã, & singula mẽbra illius pertinent. præterquam si aut ipsa mysterij in Sacramento ratio aliud postulet: aut natura aliqui. aduersa nobis infirmitas. cuidẽ sue aliqua

necessitas usum illius non admittat.

Et hic igitur non de eo sacramentorum genere agemus, quod certis quibusdam personis dumtaxat in Ecclesia proprium esse videri possit: sed de eo tantum, quod ad totam pariter Ecclesiam, omniaq; eius membra pertinet: nisi aliqua earum (quas recensuimus) exceptionum intercedat.

Atq; ut iam certum quendam ordinem de ueluti classem quandam eorũ, de quibus dicturi sumus sacramentorum constituamus. id nobis in generali huius sacramenti descriptione addendum erit. ut sacramenta de quibus tractationem nostram instituimus, dicamus esse, eam Dei ordinationem, quæ ita sit posita in Ecclesiæ ministerio, ut ad omnia illius membra usus eius ordinarie pertineat, nisi si prædictæ exceptiones intercedant. & constet signo suo uisibili, simul ac inuisibili mysterio: ut sint suo subseruiat, ad quem est institutũ.

Quanquam autẽ magna iã ex parte approbauerimus nostram hanc sacramenti descriptionem: tamen ordine adhuc recensebimus, quæ in illa obseruari debent. ut res tota & intelligi & retineri possit.

Cũ

Cum igitur dicimus sacramenta esse Diuinam ordinationē: discernimus illa ab omnibus humanis traditionibus, ceremoniis ac cultibus, quaecunq; tandem mundi totius auctoritate institutis. Cum enim Deus lucem habitet toti prorsus mundo huic inaccessā: totus sane mundus cum omni sua sapientia, eruditione ac prudentia, nullum nobis certū ac solidū Diuinæ erga nos uoluntatis testimonium, ne dicam uisibile signum, aliquod constituere ullo modo potest. Sed ut Deus solus nouit consilij sui Diuini omnes rationes: estq; uerax proculdubio in omni uerbo suo, ex proinde in omni etiam uerbo suo nobis prodita ordinatione: ita ex nos eas solas traditiones, ceremonias ac cultus, deo gratos, certos ac salutares esse statuemus: quos uerbi Diuini autoritate institutos, obseruariq; in Ecclesia iussos habemus.

Si igitur sacramenta nostra, certa, uera, cia, ex salutaria nobis esse debeant, uerbi imprimis Diuini autoritate comprobanda sunt, ut constet, Deum ipsum illorum autorem esse, suntq; etiam intra fines uerbi diuini continenda: ne humanis fallaciis quoquomodo profanentur. Omnis enim homo

mendax: sine ulla cuiusquam exceptione, præter Christũ solũ. qui alioqui Deus quoq; est: & non homo tantum. Deinde cum dicimus, Sacramenta, de quibus hic agimus, esse eam Dei ordinationem, quæ sit in Ecclesiæ ministerio posita: discernimus hoc Sacramentorum genus, ab aliis Sacramentis, in quibus Deum nullos ex hominibus cooperarios secũ habere noluisse uidemus. Vt erat olim flãma cælestis consumens ueterum sacrificia: & Manna pluens. Estq; adhuc arcus cælestis in nubibus: qui non est in Ecclesiæ ministerio positus: hoc est, Deus non uult, ministros Ecclesiæ, in formando arcu suo in nubibus, cooperarios suos esse. Sed tantũ uult, ut quoties illum ipsemet apparere facit, pro suo arbitrio: nos eum, ut signũ simul atq; obsignaculum æterni sui nobiscum fœderis, cũ gratiarum actione intueamur.

Docemur item iisdem uerbis, Sacramenta nostra, de quibus nostram hanc tractationẽ instituimus, cõsistere, non tam in rebus illis quæ institutæ a Deo sacræ actioni adhibentur, quã potius in ipsa actione, ut est a Deo instituta. Et proinde doctrinã eorũ nõ posse subsistere, qui in baptismo aqua ipsam, &

in cœna itē dominica panē ac uinū Sacramē ta esse putant. Cū enim aqua, panis, uinū, nō sint opus ministrorum præceptum à Deo in baptismi aut cœnæ Sacramēto: extare q; illa oporteat, priusquā Sacramentū administre tur. Sacramēta uerò (quod ad signum illorū attinet) posita sūt in ipso Ecclesiæ ministe rio sub ministri opere, ex diuina institutio ne. Sanè quantū absint ab ipso ministri ope re, aqua, panis, & uinū, in baptismi & cœ næ usu, ut tū primū, aqua, panis, & uinū, esse se incipiant: tantum ab eo absunt etiā, ut Sa cramēta aut esse aut uocari possint. quomo do uerò aqua, panis, & uinū, in baptismi & cœnæ dominicæ usu adepta sint nomē Sacra menti: id clarius exponetur, circa signi in Sa cramētis explicationē. Ac rursū in uniuscu iusq; Sacramēti institutione ostēdetur, Sa cramēta nostra posita esse, non in rebus, quæ actioni adhibentur, sed in ipso ministerio seu actione.

Præterea in iisdem uerbis adhuc, ita intel ligere debemus, Sacramēta in Ecclesiæ mi nisterio posita esse: non ut ministri Ecclesiæ opus totū Sacramēti peragant: sed ut Chri sto Domino in eius institutione cooperētur. quatenus sanè cooperarij sūt Christi. nō aūt

operarijs ipsimet, ut ab illis solis totum opus in sacramentis debeat expectari. Proinde cum audimus duabus rebus seu partibus cõstare sacramenta: duo in usu illorum opera agnoscere debemus, quæ duos etiam operarios habeant. nempè opus ministri iuxta diuinam institutionem: Et opus Christi Domini ipsius, qui ut ministrum Ecclesiæ, cooperarium suum esse uult, non autẽ operarium, in sua institutione: ita opus suum peculiare sibi ipsi etiam relinquit, quod equidẽ non per ministri manus, sed per spiritum suum efficit in nostris cordibus: qui est perpetuus & efficax testis ac glorificator Christi Domini, in omni ipsius institutione.

In eo uerò quod dicimus, sacramentum, eiusmodi esse Dei ordinationem, quæ in ministerio Ecclesiæ posita, ad totam Ecclesiam, omniaq; membra illius ordinariè pertineat: Docemur peccare omnes, qui usum sacramentorum legitimum (dum haberi potest) in Christi Ecclesia, negligunt, & contemnunt. Peccare item & ministros: si in sacramentorum administratione non sint fideles ac diligẽtes, in cõcreditis sibi Ecclesijs. Ut enim contemptus & negligentia sacramen-

mentorum in plebe, culpa sua non caret: ita
ex ministri, qui contemptum hunc ex negli-
gentiã non reprehendunt ut debent, nihilo
minore tenentur culpa, ne dicam maiore,
cum ex manibus ipsorum, requirendus sit
sanguis omnium in Ecclesia Christi.

Cum enim remissio peccatorum Euangelio
patefacta, eiusq; ministerium, ad uniuer-
sã, toto terrarum orbe humanam creaturam
pertineat: iussaq; sit uniuersæ etiam humanæ
creaturæ prædicari: non possunt sane ei-
us ipsius remissionis peccatorum promissi-
ones omnes, ad omnem etiam humanam cre-
aturam in Christi Ecclesia non pertinere.
multo minus autem appendices ex sigilla
promissionum ipsa uiquam sacramenta, quæ
a promissionibus uerbi diuini, Euangelio, uo-
lut Diplomate, nobis traditis, diuelli non
possunt, quemadmodum à Regum Diploma-
tis, sigilla ipsorum, uelli (sine Regum ipso-
rum contumelia) non posse uidemus.

Adiecimus tamen exceptiones quasdam,
quæ nos culpa omni contemptus sacramen-
torum liberant, etiamsi illis quandoq; non u-
tamur. Primam, si propter mysterij in sacra-
mento comprehensi illustrationem (cui sig-

ua alioqui ipsa subseruire debēt) aliqui in ipsa institutione diuina excludātur: quemadmodū fœmellas à circumcisione olim exclusas fuisse uidemus. Alteram, si ipsa naturæ nostræ nobis adnata infirmitas, signorū Sacramentaliū capax esse non possit. quemadmodum infantes nostri & ab agno Paschali abstinebant olim, & nunc etiā à cœnæ dominicæ usu abstinere coguntur. Tertiā, si euidēti aliqua necessitate Ecclesiæ adacti, usū Sacramentorū intermittere aliquandiu cogamur: aut per aduersā alioqui ualetudinē uti illis nō possimus. Dominus est enim filius hominis, etiam ipsius Sabbati. Et proinde quoq; Sacramentorū, quæ in parte Sabbati cēsentur. Et populū Dei usū circumcisionis intermisisse legimus in deserto, annis quadraginta: fuisse tamē interea populū Dei, & Deū, fuisse Deum ipsius. Quartam, si manifesta aliquorū impietate Sacramenta ipsa contaminari debeant: qui arceri non possint. Non enim quæ sancta sunt, canibus dari debent.

Cæterum iræ exceptiones non obstant, quominus interim usus nostrorum Sacramētorum, ad totam Christi Ecclesiam omniaq; illius

illius membra pertineat: quatenus citra obscurationem mysteriorũ in Sacramentis, infirmitatisue aut periculorum necessitatem, ac publicam illorum contaminationem intermitti omnino non debet.

Hæc ita obseruari debebunt, in eo, quod de nostro Sacramentorum genere (de quo hic potissimum agimus) addidimus, in generali Sacramentorum descriptione, nempe quod ita sint posita in Ecclesiæ ministerio, ut ad totam omnino Ecclesiam, omniaq; illius membra ordinariè pertineat. estq; hæc prima nota Sacramentorum eius generis, de quo nostram instituimus tractationem.

Iam uero ad explicationem partiũ, quibus Sacramenta hæc constant, ueniamus: nõpe ad signi in Sacramẽtis, & mysterij cõsideratione, quæ etiam uariè a multis usurpatæ, doctrinæ dissidia magna ex parte auxerunt.

primum autem de signo dicemus, neq; hic de signorum generibus multa adferemus: de his enim multi, imprimis uero uir doctissimus iuxta ac pientissimus D. Henricus Bullingerus, disseruerunt. tantum dicimus, Sacramentorum signa, eius generis esse.

quæ

que ius seu priuilegium aliquod ut donatis
mens gratiam designent, continent, et
quodammodo exhibeant, siue publico
more recepta sunt siue a Nomotheta aliquo
instituta. ut est Regum coronatio, annuli in
sponsalibus donatio, et que eius generis ha-
beatur. Sunt enim signa in sacramentis om-
nibus diuinitus nobis beneficij signa in Chri-
sto. in quo nobis ius ac priuilegium filiorum
Dei donatum est per delatam nobis gratuis
in corporis et sanguinis sui communionem.

In istiusmodi porro abusiuis ac no-
strae sententiae signis, nihil equum est minae-
litis ullis, sed publicis receptum. Est autem huiusmodi
signa, quorum ut quisque illa inuenerit,
protinus intelliget, quid cuiusque designet
aut significet, et representet. Sic in
Regum coronatione, in annuli coniugalis do-
natione, in fenderibus [illegible]
[illegible]
[illegible]
[

Etenim Regis coronatio, designat & attestatur, ius regni, ad eũ, qui more publico coronatur, & peruenisse iũ antea, siue per electionẽ, siue per successionẽ: & pertinere, ad publicam illã inaugurationẽ: neq; cessaturũ esse deinceps, sed permansurum in posterum etiam: ut qui coronatur, plenam habeat postea regni administrandi potestatem. Annuli itẽ coniugalis publica receptaq; donatio, designat & attestatur, sponsalia confecta esse mutuis partium pactionibus: & ea ipsa publicari, obsirmariq; illa annuli donatione: atq; in posterum etiam rata fore, tantisper dum uterq; contrahentium uiuit. Et porcæ in fœderibus mactatio ad eundem modum designabat & attestabatur, fœdus iam fuisse institutum: illudq; hac cerimonia sanciri: & in posterum obseruandum esse etiam, nisi quis perfidiæ reus esse uellet.

Ad hunc igitur modum & sacramentorum signa, non egent ulla miraculorum cõmendatione, quæ sunt ab illorum natura prorsus aliena. sed mox ut signa inuenimus facilè intelligimus, quidnam designent, attestentur, ac repræsentent, ex Christi Domini institutione. Et sunt præterea, signa rei

&

& præteritæ, & præsentis, & futuræ: nempè communionis nostræ cum Christo Domino, in corpore, & sanguine ipsius, delatæ nobis in Adamo (primo olim parente nostro) per promissionem: durantis etiamnũ perpetuò: & plenè olim adhuc declarandæ in mortuorum resurrectione.

Diximus uerò, uisibilia esse eiusmodi signa Sacramentorum: ut eas Dei institutiones, quas Sacramenta uocamus, ab alijs diuinis institutionibus discernamus. quæ neq; controuersæ sunt quoquomodo: neq; inter Sacramenta numerari consueuerunt. Sũt enim nõ paucæ diuinæ ordinationes, in Ecclesiæ etiã ministerio positæ: & habent sibi adiunctas salutis promissiones in Christo. Sed quia signum uisibile nullum habent, quod sit diuinitus institutum: inter Sacramẽta nostri generis, circa quæ controuersiæ exortæ sunt, censeri non possunt. ut publica Euangelij prædicatio, publica remissionis peccatorũ annũciatio, & præces publicæ in Ecclesia Christi.

Ita Augustinus, Sacramentũ, uisibile quodãmodo uerbũ appellat: adcoq; & pro ipso signo uisibili, Sacramẽti uocẽ usurpat: quod sine signo uisibili, Sacramentũ cõsistere non

possit

poſit: quod ideo alioqui additur, ut in ocu
los incurrẽt, ſuo quodã modo loqui uideatur.

Cæterũ quidnã ſub ſigni uoce intelligẽdũ
ſit in cauſa Sacramẽtaria: id uerò nõnihil cõ
trouerſũ eſſe uidetur. Alij enim ſub ſigni uoc
ce intelligi uolunt ipſam externæ actionis
(ut eſt a Domino inſtituta) ceremoniã ſeu
formã. Alij uerò, res, quæ ex diuina inſtitu
tione actioni ipſi adhibẽtur. Atq; alij rurſum
promiſcuè uocẽ ſigni in Sacramentis uſurs
pant: nempè quandoq; pro rebus ipſis, quan
doq; pro ceremonia ipſa ſeu actione.

Qui uocẽ ſigni promiſcuè uſurpãt, iã pro
rebus actioni adhibitis, iã uerò pro ipſa actio
ne: nihil ſuſpicabantur de exorituris hiſce
doctrinæ diſſidijs, quæ nũc excitata uidemus
Et ſimul oſtendunt ad utrunq; modum, ſigni
uocẽ uſurpari poſſe: quemadmodũ ſigna etiã
ſignorum eſſe Auguſtinus docet.

Qui uerò ſub ſigni uoce, res ipſas intelli
gũt in argumẽto Sacramẽtario, quæ inſtitu
tæ à Deo actioni adhibentur: nõ præter re
ceptũ morẽ id quidẽ faciũt. nõ rarò enim, & In libro. 4. de magiſtro.
rerũ, quæ deſignãtur, nomina in ſigna ipſa: et
ſigni rurſum nomẽ, in ea, quæ in ſigni parte
aliqua cenſentur, tranſferri ſolent. ſed tas
men cum plurimum interſit, in controuerſis

poſ

potissimũ dogmatibus: propriè ne, an uerò translatitiè loquamur, uidendum nobis etiã erit: ad res ne, quæ actioni adhibentur, an uerò ad actionem ipsam externã potius, uocẽ signi, propriè magis referre debeamus.

Et Patres quidem signi uoce in argumẽto hoc Sacramentario pro rebus ipsis utuntur, quæ institutæ a Domino Sacramentorũ externæ actioni adhibentur. sed si hunc talẽ uocis istius usum Metaphoricum esse constet, aut sanè Metaphoricè exponendi hic Patres erunt, aut fatendum erit minus esse propriam hanc talem ipsorum usurpationem. Et proinde magis propriæ usurpationi cedere etiam (in re præsertim controuersa) oportere. plurimum nanq; interest in controuersijs, propriène, an uerò figuratè loquamur.

Egregiè uerò Augustinus discrimen cõstituit inter signa, quæ rerum significatarum, quæ inter signa numerari iam non possunt: & rerum rursus, quæ & ipsæ aliarum item rerum signa sunt, signa uocantur. Etsi enim signa signorum rectè quoq; signa rerum uocantur significabilium (utar enim hic uoce ipsius) quæ inter signa censeri amplius

ut non poßunt: multò tamen magis propriè uox signi ad ea pertinet, quæ non tam signa iam, quam rei ipsius significatæ potius immediatè signa sunt. Exemplo res dilucidior fiet. In donationibus, fundus, qui donatur, res est significabilis: quæ signum uocari non potest. donationis huius signum immediatū est, publica diplomatis à magistratu traditio. nam tradito à magistratu donationis diplomate: ipse etiā fundus quodammodo uestuti tradi censetur. eius porrò signi, publicæ inquam diplomatis traditionis: diploma ipsum adseruatum rursus, signum est. Et tamē diploma ipsum interim ipsius quoq; fundi donati signum uocatur. cum alioqui re uera ac propriè diploma adseruatum. non tam sanè donationis ipsius (rei uidelicet significabilis) quam signi potius, publicæ inquam diplomatis traditionis signum est. nam si constet furto, aut dolo aliquo malo, diploma ad aliquem peruenisse: non autem legitimè traditum esse: nullam sanè traditi publicè diplomatis. multò minus autem fundi donati, apud talem poßeßorem, significationē habebit. imò uerò dammum illi dabit: nedum ut ius ullum ei designet aut atteßetur quos

quomodo.

Ad eundem modum igitur, & in re Sacramentaria, res significabilis, seu mysterium ipsum, quod signis sacramentorum designatur, est, Donata nobis cum Christo Domino cõmunio in corpore & sanguine ipsius: quẽadmodum suo loco dicetur. Signũ huius cõmunionis, est ipsa Sacramentorum institutio ac forma, ut uerbo Ambrosij utar. Signi uerò huius rursum, signa sunt, res ipsæ: quæ Dominicæ institutioni adhibẽtur, ex eius ordinatione. Ac rectè quidem res etiam ipsæ, suo modo, signa uocantur nostræ cum Christo Domino cõmunionis, in usu Sacramentorũ: iuxta eam, quam exposuimus usurpationẽ. Cæterũ multò magis propriè ac perspicuè, ipsa externa (à Domino instituta) sacramẽtorũ forma ac ceremonia, signũ est & uocatur, donatæ nobis nostræ illius cum Christo Domino cõmunionis: quæ est res ipsa significabilis seu mysteriũ omniũ sacramentorũ.

Etsi igitur patres iustã habuerint usurpationis suæ illius rationẽ, qua uocem signi, in causa hac nostra sacramẽtaria, pro ijs rebus usurpabãt, quæ institutæ à Domino, actioni adhibẽtur. tamẽ cũ minus sit propria hæc tas

lis

illis usurpatio: & multos ea deinceps turpissime abusos esse uidemus, ad inuehendā orbi nostrā quandā elementorū in sacramētis idololatriā. Præterea cū ad tollēda doctrinæ nūc dissidia, non tantum lucis adferre uideatur, quantū altera illa, magis uidelicet propria usurpatione, adferri ostēdemus. nemini mirum uideri debebit, si nos sub signi uoce, in causa hac sacramētaria, nō equidem res eas, quæ institutæ à D. formæ sacramētorū adhibētur: sed externā potius actionē ipsam, seu ceremoniā intelligere malimus. quod ipsū alioqui & patres olim facturos fuisse nō dubitamus: si tanta de re Sacramentaria dissidia, tantosq; illorū abusus præsensissent.

Inde uerò apparet etiā, mutationē illam, quā patres in signorū elemētis circa usū Sacramētorū statuebāt: nō ita multū ad causā nostrā facere, nisi si μετα φορικὸς accipiatur. ut uidelicet quod ipsi actioni est proprium, nēpe signo Sacramenti: id in res actioni adhibitas, suo quodam modo transferatur. Sed quoniam in controuersijs doctrinæ, uerborum proprietas maximè retinenda est: recte & nos facimus, dum maximè propriam signi usurpationē sequendā hic nobis

de retinendam esse in nostra tractatione existimamus.

Scio uerò à quibusdam defendi eam usurpationem, ut in causa hac Sacramentaria, uox signi ad res ipsas actioni adhiberi solitas, referatur. atq; huc induci patrum autoritatem: proferri item exempla illa, quibus corona aut sceptrum, regni signum: Annulus item coniugalis, desponsionis signum: Et lapis etiam terminus, finium signum uocatur. Sed patrum usurpationis rationem ex Augustino reddidimus: quem alioqui non postremum inter patres ipsos habemus. iuxta quam rationem etiam in propositis hisce exemplis uox signi, ad coronam, sceptrumue Regium, ad annulum item, ac lapidem terminum, referri potest. Etenim neq; corona, aut sceptrum, regni delati signum est in sese: nisi de legitima coronatione, sceptriq; traditione constet. alioqui à fure aut morione gestata corona, seu sceptrum: non sunt regni delati signa. imò uerò capitale est, coronam, præter legitimam illius traditionem, gestare uelle. Neq; item annulus coniugalis in sese, coniugij signum est: nisi de legitima illius donatione etiã constet. alioqui à scor-

so gestatus annulus, nullius illi coniugij signum est: eo quòd ei non sit legitimè traditus, iuxta publicum morem in contrahendis matrimonijs obseruatum: Et lapis terminus non est finium signum: nisi publica auctoritate legitimè, per quos oportet, statuatur. Non tam corona igitur aut sceptrum ipsum: non item aut annulus coniugalis in sese, aut lapis terminus: Regni, coniugij, finiumq; signa sunt: quam publica potius legitimaq; coronatio, Annuli donatio, & lapidis termini collocatio: quibus equidem propriè, & regnitus, & coniugium, & fines ditionum designantur,

Tametsi alia quoq; sit dissimilitudo, inter signa nostrorum Sacramentorum: & inter hæc, coronæ aut sceptri, annulíq; coniugalis, & terminij lapidis exempla: & si quæ alia huius generis habentur. Hæc enim omnia, publico etiam more adseruantur. ut sint actionum illarum memoracula, quæ signa esse diximus, Sacramentorum uero nostrorum elementa, neq; legis diuinæ præscripto, neq; receptis rerum more ullo publico, adseruari quoquomodo, aut possunt, aut debent.

Quid quod in confesso est: res actioni

ſacramentaria adhiberi ſolitas, ſigna nõ eſſe, extrà ipſam actionem? Quod ſi propter ipſam actionem, quatenus illi adhibentur, ſigna ſunt: equidem actioni ipſi, ſigni nomẽ magis multo conuenit, propter quam, dum illi adhibentur, res quoq; ipſæ ſigni nomen ſortiuntur.

Præterea cum omniũ Sacramentorũ inſtitutio ipſa teſtetur, ſacramẽta (de quibus hic agimus) in miniſterio poſita eſſe: quẽadmodũ id poſtea oſtẽdetur, et magna iã ex parte oſtenſum eſt. Et miniſterium (quod ad ſignũ imprimis Sacramentorũ attinet) in ipſa actione poſitũ eſt: ſignũq; ſacramenti partẽ eſſe, eſt iã alioqui demonſtratũ. Sane quatenus ſignũ, pars ſacramẽti eſt: Et Sacramentũ ipſum in actione conſiſtit, quatenus equidẽ in miniſterio poſitũ eſſe conſtat, fieri nõ poteſt, quin ſignũ eriã Sacramẽti (tanquã pars illius) in ipſa etiã actione cõſiſtat. Quomodo enim totũ in actione cõſiſteret, cuius partes in eadẽ ipſa actione poſitæ nõ eſſent?

Cum igitur uniuſcuiuſq; Sacramenti inſtitutione (ut uidebimus) doceri poſſit, Sacramenta ipſa in miniſterio (quod ad ſignũ attinet) et proinde in actione quoq; ipſa poſita

eſſe,

esse. Simul sanè docetur, signũ quoq; ipsum Sacramentorum consistere, nõ in rebus actioni adhiberi solitis: sed in ipsa potissimum à Domino instituta actione.

Huc uerò facit uocis ipsa etiam in signo proprietas, cum enim uox ipsa signi à signãdo deducatur, ut id quo aliquid designatur, signũ uocetur; Sanè quo aliquid magis significantiusq; designatur, magis propriè etiam signũ uocari oportere, nemo negare potest. Et cũ non sit dubiũ ullũ, magis multò, multoq; significantius Sacramentorũ mysteriũ designari actione ipsa à Domino instituta, quã rebus, quæ actioni adhibẽtur. nimirum actio illa externa in sacramẽtis (ut est a Domino instituta) semper est sui mysterij symbolũ, siue signũ: res uerò ipsæ actioni adhibitæ non itẽ. nã & domi licet panẽ edere, qui nullius diuini mysterij signũ est: quemadmodũ Paulus docet. Equidem tanto magis propriè externa in usu Sacramentorum actio signum erit, præ ijs rebus, quæ actioni adhibentur: quantò magis ac significantius Sacramentorum mysterium actione ipsa seu forma externa Sacramenti designatur & repræsentatur,

Sed & Ambrosius, quod nos signum in Sacramentis uocamus, id ille formam appellat. quæ equidem uox referri non potest, ad res actioni adhiberi solitas: sed ad ipsam duntaxat externam in usu Sacramenti actionẽ. neq; enim aut in baptismo, aqua ipsa, baptismi forma est, sed instituta potius à Domino in aqua tinctio: aut in cœna Domini, panis ipse, & uinum, sed ipsa panis, ac pocu li, à Domino instituta, participatio. Alioqui Ambrosius ipse, id esse docet formã in baptismo, quod illic uisibiliter AGITVR. ut ex uerbis ipsis Ambrosij: mens illius (hac in parte) facile intelligi possit.

Siue igitur patrum hic doctrinam sequamur, quemadmodum ex Augustino & Ambrosio docuimus: siue uocis ipsius Etymologiam: imprimis uerò diuinam Sacramentorum ipsorum institutionẽ. manifestum est, signi uocem in Sacramentis, ad institutam à Domino externam actionem seu ceremoniam, magis multò, quam ad res actioni adhiberi solitas pertinere. & proindè recte à nobis etiam in ea significatione hic in nostra tractatione (citra cuiusquam interim contumeliam) usurpari.

Sub

Sub signi itaq; nomine intelligemus in nostra hac tractatione, non equidem res illas, quæ actioni Sacramentariæ adhibentur: sed externam sacramenti diuinitus institutam ceremoniam, formam aut actionem. res autem ipsas, quæ actioni adhibentur, elementa signorum uocabimus: ut inter actionem sacram, & res, quæ illi adhibentur, discrimen aliquod haberi possit. etiamsi ipsam quoq; externam actionem, elementum uocari posse sciamus.

Diximus autem, signa sacramentorum, eius generis signa esse: quæ aut Nomotheta præscripto, aut recepto alioqui more publico, ius aliquod, seu priuilegium, uel donationem, designãt, attestãtur, ac repræsentãt. Proinde signa quoq; sacramentorum nostrorum approbari oportet, aut ritu publico, aut Nomotheta alicuius præscripto, cui debeat obediri.

At uero in rebus diuinis, cæca est omnis humana ratio, neq; ad arcanorum Dei consiliorum cognitionem pertingere ex sese ullo modo potest, nedum ut de illis testificari quoquomodo, aut aliquod eorum signum instituere possit: quemadmodum antea quoq;

dictum est. Quare signa quoq; Sacramentorũ, nullo quantumuis recepto ab hominibus more publico, nulloq; humano præscripto possũt, siue instituui siue approbari. Sed Deum ipsum, Nomothetã hic esse oportet: ut illius solius præscripto, Euãgelicis atq; Apostolicis literis nobis tradito, signa Sacramẽtorũ nostrorũ istituta, iperataq; esse cõstet. Signa igitur Sacramẽtorũ nostrorũ approbari oportet, diuina uniuscuiusq; sacramẽti institutione: id quod & nos suo loco faciemus.

Ostendimus etiam, signa eius generis, esse signa, & præteritæ rei simul, & præsentis, & futuræ, exposuimusq;, ad quem modũ id in usu Sacramentorum intelligi debeat. & adhuc clarius postea exponemus.

Iam uerò ostendendum est, qua in re signa nostrorũ Sacramẽtorũ alijs omnibus (in eodẽ etiã genere) signis antecellãt. præsertim cũ id alijs quoq; signis cõmune sit, ut sint signa rei simul, & præteritæ, & præsẽtis, & futuræ.

Atq; sane inter attestatoria eiusmodi signa omnia, etsi hoc illis cõmune sit fere, ut res simul & præteritas, & præsentes, & futuras designẽt: sũt tamẽ alia excellẽtiora alijs, maioreq; cura obseruantur, pro eo uidelicet, ac res ipsæ, quæ designãtur, illæ alijs sũt excel-

lens

lẽtiores, sic ut ex mysteriorũ, quæ designãtur excellentia ac dignitate, signorũ quoq; dignitas atq; excellentia æstimetur.

Quãto igitur res diuinæ, maiores, sublimiores, excellentioresq; sũt rebus humanis omnibus: tanto etiã signa ipsarũ, aliis signis humanis omnibus digniora, magisq; sublimia, ac excellentia haberi proculdubio debent, maioreq; studio ac reuerentia obseruari.

Præterea uerò etiã plurimũ interest, Deus ne, an uerò homo aliquid instituat. Enim uero Deus, dicendo facit quod dicit: homo nõ itẽ. Quorũ igitur signa Deus uerbo suo Diuino cõstituit, ea quoq; simul præstat omnino: quod in ipso quidẽ est. sic ut dum signa à Deo instituta legitimè (pro nostra infirmitate) obseruamus: rebus quoq; ipsis ꝑ eiusmodi signa designatis, ipsis inq̃ signorũ mysteriis re uera animis nostris ad uitã æternã autore spiritu sãcto fruamur. quod equidem nullis quibuscũq; tandem humanis signis tribui ullo modo potest.

Duobus igitur hisce nominibus signa Sacramentorum nostrorum antecellunt longissimo interuallo omnibus omnino signis humanis. Et quod sublimiora infinitis modis habent sua mysteria. Et quod

Deum

Deum autorem habeant: qui per spiritum sanctum suum id efficit, ut una cum signis, signorum quoq; mysterijs uerè ad uitam æternam fruamur.

Neq; tamen hic ullam eiusmodi facimus mysteriorum cum signis, signorumue elementis connexionē, ut mysteriū cū signo eiusue elemētis, in usu sacramētorū ita cōiungamus: ut illud, uel in signo, uel per signum ipsum exhiberi: multò minus autem signi elementis realiter (ut dicunt) de iuxta substantiam ipsam naturalem, includi, continerique dicamus. Hæc enim ab ipsa natura omnium sacramentorum, & à diuina adeò institutione sacramentaria, denique & à fidei ipsius Analogia aliena esse, postea ostendemus. Sed eam mysterij cum signo coniunctionem agnoscimus, in legitima sacramentorum administratione: qua fit, ut dum signum sacramenti legitimè celebramus, simul quoq; & ipso signi mysterio ad uitam æternam uerè fruamur. id uerò non per ministri opus ullum, externamq; illius actionem: multo minus autem per realem ullam mysterij in signi elementis inclusionem: sed per Dei ipsius, nempè spiritus sancti opus, qui (ut testis ac

glo-

glorificator perpetuus Christi Domini) adest semper (in legitimo nostro ministerio) ipsius institutioni. et facit diuina uirtute sua, ut dum in signi sacramentalis usu legitimè uersamur: signi quoq; mysterio, accensis fide animis nostris, uere, ad uitã æternã sẽper fruamur. id quod in ipsa mysterij sacramentorum explicatione, clarius exponetur.

Quare etsi realem illam ac substantialẽ (ut uocant) mysterij cum signo, eiusue elementis connexionem, inclusionemue, non agnoscimus omnino: adeoq; ex alienam plane ab ipsa natura atq; institutione Sacramentorum esse non dubitamus: non tamen ideò quidquam omnino detrahimus dignitati, ex uirtuti Sacramentorum, dum quod alij uel in ministri opere, uel in elementorum connexione statuere conantur, nos in Dei ipsius nobis assistentis opere ex uirtute, positum esse docemus.

Atq; de signis sacramentorum copiosè satis diseruisse nobis uidemur: sic ut nostrã hac in parte sententiã, facilè intelligi posse non dubitemus.

Restat iam ut de altera Sacramenti parte, nempè de mysterio, etiam dicamus. uocàs mus

unus autem mysteriũ, id ipsum, quod signis designatur in usu Sacramentorũ. alij signatum uocãt: alij rẽ significabilẽ aut significatã. nos si de re constet, de nominum uarietate nihil esse nolumus. idq; nobis satis erit, ut alterum Sacramenti partem id esse intelligamus: quod nobis signa Sacramentorum à Christo Domino instituta, designant, attestantur, & repræsentant. siue id signatum, siue mysterium, siue rem significatam, aut significabilem uocemus. nos tamen recepta mysterij uoce libenter utimur.

Cæterum in re ipsa mysterij Sacramentorum cognoscenda plus est negotij, hoc est, quidnam sub mysterij uoce in Sacramentis intelligere debeamus. nam omniũ fere dissidiorum fons in re Sacramentaria, ex uaria exposita mysterij Sacramentorum ratione profluxisse potissimum uidetur. quæ uarietas expositionis si recte explicetur, & maxime propria mysterij ratio tradatur: facile demum de exortis (hac in parte) dissidijs poterit iudicari. adeoq; & intelligi ubinam hactenus aberratum sit à scopo.

Neq; uerò tantum est inter interpretes dissidium, de Sacramentorum mysterio: ut

non

non magna alioqui ex parte inter ipsos conueniat, nimirum ueritas, oppugnari quidem potest: expugnari prorsus non potest. estq; Deus Satana multò potentior: ut ueritatem miris quidem modis atq; artibus imperitam obrui nihilominus haudquaquã patiatur. uide debimus igitur, qua parte inter sese interpretes fere omnes de mysterio Sacramentorum consentiant. Deinde uerò qua parte inter sese dißideant, obseruabimus. Dißidijq; ipsius rationem ac progreßum ita demum exponemus.

Fatentur omnes igitur, mysterium Sacramentorum eße, nostram cum CHRISTO Domino communionem: neq; hic quidquam est dißidij. Cũ enim in Christo D. sumus, quidquid omnino sumus (quod ad salutẽ nostram attinet) atq; in Christo D. habemus quicquid omnino habemus. Neq; sane in Christo eße, neq; in illo habere quidquam poßemus: si nõ aliquã cum ipso cõmunionẽ haberemus. Hac enim sola fit, ut nostra ad illum pertineant: et quæ illius sunt, nostra uicißim eße censeantur. quod cum unicum sit salutis nostræ mediũ simul ac remediũ: adeoq; & totius Euangelici ministerij arcanũ

antea

mundo tam incognitum: sanè quatenus sacramentorum ministerium, est pars Euangelici ministerij, per quod arcanum hoc nostræ cum Christo communionis reuelatur: hactenus neq; sacramentorum aliud ullum mysterium constitui potest, nisi si extra Christum, salutem nostram quæri, obtinerique posse ullo modo putamus.

Deinde in hoc quoq; omnes consentiunt, quòd hanc nostram cum Christo Domino cõmunionem statuunt, in unius eiusdemq; corporis & sanguinis sotietate seu participatione: iuxta quam uidelicet, & Christus Dominus, est caro, ex carne nostra, sanguis, ex nostro sanguine, os, ex oßibus nostris. Et nos uicißim, caro, ex carne, sanguis, ex sanguine, & oßa, ex oßibus ipsius.

Hactenus igitur conuenit inter omnes: ut fateantur unanimiter, mysterium sacramentorum, eße nostram cum Christo Domino communionem, in corpore & sanguine ipsius. Cum alioqui certum sit, nos, iuxta alteram Christi Domini naturam, nempè diuinam, nullam cum ipso naturalem habere cõmunionem, cũ simus creaturæ, ipse uerò æternus, cum Patre suo, & spiritu sancto

Deus

Deus, laudandus in ſecula. Amen.

Perindè eſt autem, ſiue gratiam Dei in Chriſto, ſiue fœdus Dei nobiſcum, ſiue iuſtitiam fidei, ſiue ſalutem noſtram, myſteriis um Sacramentorum eſſe dicamus: ſiue noſtram cum Chriſto Domino (in corpore & ſanguine ipſius) communionem. Cum Deus Pater in ſua erga nos gratia, qua nos ad uitam æternam reſtituit: in ſuo item fœdere nobiſcum noſtram perpetuò hanc cum Chriſto Domino communionem intueatur. Et iuſtitia ipſa fidei, uitaq; adeò æterna, effectus ſit ac finis noſtræ hüius cum Chriſto communionis in corpore & ſanguine ipſius. Extra quam alioqui, neq; gratiam patris Dei ſalutarem habere, neq; in fœdere ipſius eſſe, neq; iuſti per fidem cenſeri, & proindè neq; ad uitam æternam poſſumus ullo prorſus modo peruenire.

Sed hæc ipſa noſtra cum Chriſto communio uariè nobis in ſcripturis deſignatur & commendatur. iam à cauſa ipſius, iam ab effectis, iam & à fine ipſius. Cum enim gratia ſola Dei id factum ſit, ut delatam nobis gratuitò noſtram hanc cum Chriſto Domino communionem in corpore & ſanguine

ipſius habeamus: & ea ipſa gratia interim, pertinere ad nos nō poßit, niſi in noſtra hac cū Chriſto Domino cōmunione. ſanè cū Sacramentorū ſigna, diuinæ erga nos in Chriſto gratiæ ſigna eße docemus: noſtræ illa cū Chriſto communionis ſigna eße per cauſas ſignificamus.

Rurſus dum ſigna Sacramentalia aut fœderis diuini nobiſcum, aut iuſtitiæ fidei, aut remiſſionis peccatorum, aut regenerationis ac renouationis ſigna uocari legimus: intelligimus eam ipſam noſtram cum Chriſto Domino cōmunionē nobis ab effectis ſeu fructibus ipſius ſignificari & cōmendari. Neq; enim fieri potest, ut qui uerè communicant Chriſto Domino in corpore & ſanguine ipſius, non iam ſint in fœdere: non cenſeantur eße iuſti, non regeniti in Chriſto: non itē in dies magis ac magis renouentur ſpiritu mētis ſuæ. Ac rurſū fieri non potest, quin iam Chriſto communicent, fide, in corpore & ſanguine ipſius: quicunq; ullo prorſus modo ſint in fœdere. quicūq; item iuſti apud Deum, regeniti; eße cenſentur. Et quicunq; ad uitam æternam quoquomodo renouantur præterquàm ſi qui in eo ipſo fœdere, per

adnatam naturæ nostræ infirmitatem, se in fœdere esse, se iustos regenitosq; censeri, fidei suæ ipsorum testimonio sentire non possint. hi enim omnes delatam sibi habent gratuito & ipsi cũmunionẽ hanc cum Christo Domino (quatenus equidem membra sunt suæ Ecclesiæ) in qua nulla alioqui naturæ nostræ adnata nobis infirmitas in Christum ipsum translata nobis amplius imputari potest ad nostram condemnationẽ. ut uel hinc facilè appareat, & fœderis nobiscum diuini firmitudinem, & iustitiam, regenerationem nemq;, ac renouationem nostrã, fructus, atq; effecta quædã esse, nostræ cum Christo Domino cõmunionis: hancq; nobis, per fructus & effecta sua in Sacramẽtis designari, ac cõmendari: eum signa Sacramentorũ, signa fœderis, iustitiæ, regenerationis, ac renouationis esse audimus.

Ad eundem porrò modum à fine suo eandem ipsam communionem nostram cũ Christo significari nobis, commendariq; in Sacramentis intelligimus: dũ signa illorum, salutis nostræ uitæq; æternæ signa esse audimus. finis enim nostræ huius cũ Christo D. cõmunionis, est uita æterna. uenit enim Christus

Dominus in nostri communionẽ: ac nos rursum in sui communionem recepit: ut in ipso uitam eternam, & quidem abundantißimè habeamus.

Perindè est igitur (ut antea quoq; diximus) siue gratiam Dei Patris in Christo, siue fœdus item illius nobiscum, siue peccatorum remißionem & iustitiam fidei, siue regenerationem nostri ac renouationem: seu uerò nostram cum Christo Domino in corpore & sanguine ipsius communionem, Sacramentorum omnium mysterium esse dicamus. Sed cum hæc omnia in ipsa potißimum nostra cum Christo cõmunione consistere, atq; ab illa, maxima sanè ex parte pendere uidemus: clarius nobis rem ipsam explicaturi uidemur, si Sacramentorum mysterium, nostram cum Christo Domino communionẽ in corpore & sanguine suo esse dicamus.

Est itaq; Sacramentorum omnium mysterium, communio nostra cum Christo Domino in corpore & sanguine ipsius: quemadmodum id etiam in singulorum Sacramentorum explicatione commonstrabitur. neq; hic ullam omnino controuersiam esse putamus.

Cæte-

Ceterum in modo constituendo eius ipsius nostræ cum Christo Domino communionis, ibi uerò interpretes uariare primum inter seſe cœperunt. Alij enim illam constituunt, in eiusmodi participatione, ueri naturalisq; (iuxta ipsam substantiam) corporis & sanguinis Christi: quæ ore carnali fiat, per realem (ut uocant) in cœnæ potissimum Sacramento, per eius elementa, illorum perceptionem. Alij uero, in simili quidem etiam eiusdem ipsius corporis & sanguinis Christi naturalis iuxta ipsam substantiam sumptione: sed quæ fide sola, non autem ore carnali percipiatur. Ac rursum alij, qui nostram hanc cum Christo Domino communionem, iandudum alioqui gratuitò delatam ac pereeptam, fide quidem à nobis agnosci ac sentiri, atq; Ecclesiam totam in fide illius (usu Sacramentorum) obsirmari obsignarisq; docent. Sed eam fidei in hac communione obsignationem non requirere, ac nè admittere quidem etiam, realem ullam eiusmodi corporis & sanguinis Christi naturalis præsentiam: nedum illam eorum, quæ carnali ore fiat pereeptionem. Ita demum uerò disputatum est de unione Sacramentali: qua signa

Sacramentorum ab diſs ſignis omnibus diſcernerentur.

Porrò inter eos rurſum, qui noſtram cum Chriſto D. communionẽ in eiuſmodi participatione ponebant, quæ (in cænæ Sacramẽto) ore carnali fiat, per realẽ (ut diximus) in cænæ elemẽtis, corporis & ſãguinis Chriſti naturalis (iuxta ſubſtantiã ipſam) perceptionẽ. Alij ſtatuebant, in ipſis cæne dominicæ elementis, miraculoſã neſcio quã tranſubſtãtiationẽ. Alij uerò connexionẽ quandã, præter naturalẽ etiã ſignatorũ cũ ſignis. nã elemẽtis ipſis, ſigni nomẽ tribuebant: hoc eſt, ſtatuebãt, realẽ quandã ac ſubſtantialẽ corporis ipſius naturalis & ſãguinis Chriſti cũ cænæ elemẽtis connexionẽ. ut quiſquis cænæ elementa, nẽpe panẽ ac uinum ſumeret: is in ipſo pane ac uino ſimul etiã perciperet uere ac realiter ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti naturalis.

Ac primum Papa Romanus, dũ talẽ corporis & ſanguinis Chriſti participationem ſtabilire modis omnibus quæreret, quæ ad tuendã ipſius tyrannidẽ maximè accommoda eſſe uideretur: ſuam nobis tranſubſtantiationem conſinxit, non quòd illi cordi fuerit noſtræ

ſtræ cum Chriſto communionis illuſtratio-
quã alioqui obſcuratam, prorſuſq; ſuppreſſã
mallet. ſed quòd hac uia in prætio fore uide-
bat, ſacerdotij ſui quantũuis Chriſto aduer-
ſarij ordinem: magnumq; indè quæſtum ad
ſe & ſuos rediturum eſſe. nimirũ intelliges
bat, fieri non poſſe, quin in prætio ſemper
eſſẽt futuræ, raſæ illæ, unctæq;, ac purpuras
tæ ſimiæ: quarum opificio, tranſubſtantiatio
iſta, res (ſi Deo placet) tanta, tamq; miracu-
loſa conſtaret.

Et non dubitabat plurimũ ad ſe quæſtus
peruenturum eſſe: ſi ſemel orbi perſuaſum
eſſet, ſimias ſuas omnes eam poteſtatem, au-
toritatemq; habere: ut Chriſtũ Dominũ in
manus ſuas (quoties uellent) è cœlo deuocas
re poſſent. quis enim non credat, eos omnia
poſſe, apud illum: cuius euocandi de mẽdiq;
dum uellent, ius poteſtatemq;, & autoritatẽ
omnem haberent? Et quis non etiam talium
fauorem ſibi multò libentiſſimè redimeret,
uel dimidia bonorum ſuorum omnium parte:
per quos Chriſtum, in ſuam gratiã quoties
liberet, uel inuitum euocari, inq; illorũ ma-
nibus ſiſti oportere ſcirent? ita igitur ui-
ſũ eſt in papatu, ut tranſubſtantiatio in cænæ

elementis statueretur.

Postea uerò cum transubstantiationis impietas sese indies magis ac magis (per Dei gratiam) proderet, neq; cælari amplius posset, publicè tandem oppugnata est: adeoq; & explosa demum multis in locis, Diuino beneficio. Sed nè in Sacramentis nuda deinceps signa superesse uiderentur: substitui cœpit post reiectam transubstantiationem, realis quædam corporis Christi naturalis cũ pane, & sanguinis item cum uino in cænæ Sacramento connexio. sic ut panis, in cænæ Dominicæ usu, nõ quidẽ transmutetur, neq; itẽ uinũ etiã: sed panis, sit simul & panis, qui fuerat, & quod non fuerat, corpus Christi. Vinũ itẽ maneat uinũ, sed simul & uinũ, & ipsa etiam substantia sanguinis Christi naturalis: uisaq; est hæc doctrina commodissima esse, & ad explodendam Papæ Romani transubstantiationem, cum omni ipsius idolatria: & ad retinendam adeoq; & tuendam Sacramentorum, imprimis uerò cænæ Dominicæ dignitatem. Neq; sanè dubium est, quæsitam esse uerè & ex animo gloriam Dei, ab huius doctrinæ autoribus: tã in subuertenda Papæ transubstantiatione, quàm

in

in retinenda dignitate Sacramentorum. Et erat ingens Dei beneficium, dedisse nobis ei iusmodi doctores: qui uel ipsam duntaxat transubstantiationem, confutare atq; explodere posſent. Ita uerò se accommodat infirmitati nostræ Deus Opt. Max. ut nobis, nõ equidem subitò omni ex parte innotescat, sed gradus quosdam sua nobis reuelandi (pro nostra infirmitate) obseruet. Magnum erat initio, manus demoliendæ transubstantiationi admouisse: cum uel mutisse aduersus illam plus quam parricidiale crimen haberetur. Habendus est igitur honor ijs, quos Deus singulari suo beneficio ad cõuellendam transubstantiationem, & natam demum ex illa idololatriam excitauit. Non obstitit Petro Apostolo in retinenda dignitate Apostolica, quòd non recto alicubi pede inceſserit. Et inter Paulum ac Barnabam dissidia nonnunquam interceſsisse uidemus. Absit autem, ut hoc nomine, Apostolico Petri & Pauli ministerio detrahamus. Ita & nunc iniquum fuerit, uirorum Dei illorum ministerio uelle quoquomodo derogare: propter humanos ipsorum lapsus quosdam: per quos lucem Euangelij diuino beneficio resuſcita

tatem nostro hoc seculo habemus. Longè sa-
ne nos infra Apostolos sumus. & proindè
humana omnia, minus multò à nobis aliena
esse existimare debemus. Nihil hic de patri-
bus dicam: inter quos nemo est, qui non sua
errata habuerit. quorũ tamen pietas & eru-
ditio satis prædicari non potest. Sed & Pe-
trum ipsum, post editam insignem illam de
Christo Domino confessionẽ, nõ semper quæ
Dei erãt, legimus sapuisse. cũq; illũ à Domi-
no Satanã uocari audiamus, miramur, sic & nos
transuersè nonnunquã ab illo, quo non opor-
tet, trahimur. quasi non, quo præstantioris
bus quisq; donis à Domino ornatus est: hoc
grauius etiam à Satana semper impetatur ac
molestetur. Aut non sit glorioſum, à deuicto
alioqui hoste, uulnus quandoq; accepisse.
Quid? quod Deus ipsemet ita nos aliquando
labi & falli patitur: ut nos homines esse me-
minerimus? Et neq; de nobis ipsi, neq; itẽ de
alijs supra nos cogitemus? cũ alioquí nostra
ferè, tã in nobis ipsis, quã in alijs etiã, libẽ-
ter (nescio quomodo) admiremur. In lapsibus
igitur sanctorum Dei hominũ, per quos doc-
trina ueritatis diuino beneficio reluxit, non
tã homines ipsos, quã Dei potius in illis pro-
uidentiã

tudentiam intueamur. Et ſi quid humanũ in illis deprehendimus: id non equidẽ ad ipſorũ contumeliam, ſed ad noſtram ipſorum admonitionem, adeoq; & ad noſtram in noſtris quoq; erratis conſolationem referamus. Pro illis uerò Eccleſiæ luminibus Deo noſtro gratias agamus, quæ ad reſtituendam Euãgelio Chriſti lucem & dignitatẽ ſuam excitata eſſe non dubitamus. Alij autem uiciſſim, non æquo tantum ferent animo, ſed gratulabuntur etiam: ſi nunc quoq; poſt primos illos reuelentur alijs: quæ hactenus fortè ad plenum adhuc patefacta non erant. Ita nimirum alij in alijs Deũ pariter laudabimus: & inexhauſtum in ipſo donorum fontem reuerenter agnoſcemus. Ad eundem modũ igitur & in Sacramentaria hac controuerſia, ſacroſanctam illorũ memoriã habeamus: per quos Deus productam in lucem tranſubſtãtiationis impietatem è medio ſuſtulit. Et gratias nihilominus Deo agamus, ſi quid poſt illos nobis plenius aliquo modo reuelatũ uidemus.

Ergò qui tranſubſtantiationẽ primi ſubuertere ſunt aggreſſi, connexionem illi (ad retinendam Sacramentorum dignitatẽ)

ſub-

ſubſtituere ſtuduerunt. cum alioqui non deſ
eſſent, qui Sacramenta noſtra ciuilis dũtaxa
at conuerſationis noſtræ ſigna, neq; quos
quomodo neceſſaria eſſe doceret. Hanc por
rò connexionem conſtare dicebant, diuina
quadam coniunctione rei ſignificatæ, cum
ſigni elementis: quam unionem Sacramenta
lem uocabant. quæ nimirum fieret: ut panis
cœnæ, uerè ac realiter in ſubſtantia non pa
nis tantum eſſet iam: ſed etiam naturaleq; ip
ſum corpus Chriſti. Cœptũq; eſt de idẽtita
tibus (ut uocãt) diſputari: cœptæ etiã pro
ferri ſimilitudines quædã, nẽpè ferri cãden
tis, & pleraq; eius generis. Et cũ multa nihi
lominus in hac tali unione multos etiam of
fenderent: quæſita eſt demum & alia unio
nis ratio. nempè ut ipſa corporis & ſangui
nis Chriſti naturalis ſubſtantia diceretur
eſſe in cœnæ dominicæ elementis uerè quis
dem & realiter, nõ tamen localiter, neq; na
turaliter: ſed diffinitiuè.

At uerò nè hæc quidem diffinitiua præ
ſentiæ connexioniſq; ratio ſatiſfacere om
nibus potuit. Qualiſcunq; enim unio eiuſmo
di ſtatueretur, quæ modo ſubſtantiam ips
ſam corporis & ſanguinis Chriſti naturalis

ſignos

signorum elementis in usu Sacramentorum uerè & realiter in specie ipsa connecteret: uitari haudquaquam poßet, quin & pios simul & impios corpori & sanguini Christi ex æquo participare, fateri cogeremur. quod etsi defendere quidam sunt conati: tamen in eius doctrinæ defensione (citra contumeliã corporis & sanguinis Christi) persistere non poßunt.

Cœpit igitur tandem uniuersa hæc doctrina de tali corporis & sanguinis Christi cũ signorũ elementis in cæna cõnexione oppugnari. & docebatur, nullam realem istiusmodi connexionem, & proindè nè unionem quidem hanc ullo modo requiri, ad ueram ac salutarem nostram cum Christo Domino in corpore & sanguine ipsius communionẽ.

Hic uerò pugna protinus incruduit. uisiq́; sunt isti, adimere uelle Sacramentis omnibus omnem ipsorum efficaciam & dignitatẽ. illi contra Capernaitæ uocabantur: etiamsi ipsi hoc nomen á se depellere conarentur. eoq́; demum uentum est, ut alij alios proscinderent: ac diris ad extremum omnibus non sine grauibus præiudicijs, & magna multorum offensione deuouerent.

Non

Non defuere tamen uiri & docti & pij: qui cum uiderent, quorsum hæc controuersia tandem euasura esset, aliam demum rationem unionis Sacramentalis tradiderũt. quæ se utrisq; istis satisfacturos esse putabant. nempè quod omissa priore illa doctrina de reali corporis & sanguinis Christi naturalis (iuxta speciem ipsam) cum ipsis cænæ elementis connexione: alia rursum Sacramentalis unionis ratio statuenda esset. quæ non iã in signi elemento in cæna: sed in signo ipso, hoc est in ipsa externa cænæ forma seu cerimonia (ut est à Domino instituta) obseruanda esset. hoc est, in ipso ministri opere, ut Dei ordinatione. quæ tamen eiusmodi unio, ad pios duntaxat ac fideles, non autem ad impios pertineret. sic ut pij dũtaxat, corpori & sanguini Christi (in usu Sacramentorum) communicare credantur.

Ceterum ne hæc quidem doctrina probari adhuc omnibus potuit: quod multa secum incommoda adferre etiam uideretur. Aliaq; rursum doctrina tradita est de Sacramentali unione. nempè unionem Sacramentalem consistere, non in connexione ulla reali signatorum cum elementis: neq; item in

opes

operis ministrorum efficacia ulla aut dignitate: sed in spiritus sancti (nostro ministerio assistentis) opere diuino. quem Christus alioqui Dominus, assiduum suum habet testem, glorificatorem & cooperarium, in omni sua doctrina & institutione.

Hæc igitur omnis doctrinæ uarietas, in unionis Sacramentalis consideratione uersatur. quòd alij illam statuunt in connexione signatorum cum elementis: alij uerò in ministri opere, nomine sui ministerij. Alij uerò in opere spiritus sancti, qui & ipse est assiduus (ut diximus) testis, glorificator, & cooperarius CHRISTI Domini, in ipsius institutione.

Non attinet autem commemorare, quisnam in allqua istarum sententia sint, aut fuerunt. Res notior est, quàm ut reperi hic debeat. Et nos, præter trāsubstantiatorios doctores illos, quorū sanè blasphemiæ & idololatria in Christi Ecclesia ferri non poßunt: reliquos omnes in Domino ueneramur. memoriamq; illorum (etiamsi alicubi humanum quiddam paßi sint) sacrosanctam planè habemus, ut quos toto pectore gloriam DEI quæsiuiße, & admirandis DEI

donis

donis insigniter ornatos fuisse, nullo modo dubitamus.

Omissis itaq; nominibus, rem ipsam inuestigabimus: Et uidebimus, num uera Sacramentalis unio, posita sit, aut in reali illa signatorum cum signorum elementis connexione: aut in ministri opere ministerij sui nomine: aut in opere spiritus sancti ipsius.

Cum autem alia unionis ratio in Sacramentis constitui nulla possit: nisi quæ mysterio ipsi omnium Sacramentorum respondeat, ac subseruiat: quod in nostra cũ CHRISTO Domino communione positum esse ostendimus. ipsa nobis ratio nostræ cum Christo Domino communionis exponenda est: ut uideamus, qua parte communio hæc Christi nobiscum, ac nostra eũ ipso uicissim, sit mysterium omnium sacramentorum. ita enim facile demum intelligemus: quænam unionis controuersæ istius explicatio, magis ad institutum sacramentarium faciat, mysterioq; ipsorum magis subseruire uideatur, itaq; nostræ cum Christo cõmunionis rationem inueniamus.

Primum autem uox ipsa communionis exponenda est, quæ Græcis κοινωνία uocatur,

tur: ut rem ipsam postea melius cognoscere possimus.

Κοινωνία igitur apud Græcos ambigua vox est, quemadmodum & apud Latinos communio. sic ut & actiuè, & passiuè accipi possit: siue nosmet ipsi in communionē alios, siue ab aliis uocemur. Communicare enim dicimur, & cum, quæ nostra sunt, alijs impertimur: & cum in eorum, quæ nostra non sunt, participationem uocamur, usumq; eius ipsius participationis retinemus. Apud Latinos tamen in actiua significatione, communicatio: in passiua uerò significatione, communio ferè uocatur. etiamsi alterū pro altero usurpari possit.

Iurisconsulti, societatem super rerum aliquarum communione initam, κοινωνίαν appellant. Estq; titulus apud illos, περὶ κοινωνίας. hoc est, de inita super rerum cōmunione, societate: siue eum qui communionem deferat, siue illos qui in eam uocati sint, intueamur. Et qui eiusmodi societatis participes sunt, κοινωνοὶ uocantur.

Hic igitur imprimis considerandum est: num communionis uocē actiue, an uero passiue exponere debeamus: quatenus sanè cō

munio, mysterium est omnium Sacramentorum, quod ad nos quidem attinet qui Sacramentis utimur.

Et Paulus quidem in explicando cœnæ dominicæ mysterio, κοινωνίαν, non sanè activè pro ipso communicationis actu, quo de nostro aliquid alijs impertimur: sed passivè potius, pro usu atq; iure cõmunionis nobis aliundè delatæ usurpare uidetur: dũ cœnæ Sacramentũ, communionẽ corporis & sanguinis Christi esse docet, neq; enim dicit: unũ panẽ, unũ corpus distribuimus aut impertimus alijs: Sed unus panis (inquit) unũ corpus sumus. in parte uerò censeri eius rei, cui cõmunicamus, lõgè est aliud: quàm rẽ aliquã distribuere alijs & impertiri. cũ hoc activæ sit significationis: illud uerò passivæ. Cũ igitur Paulus eiusmodi cõmunionem corporis Christi in cœnæ dominicæ mysterio statuat, qua multitudo uniuersa Sacramentum cœnæ peragẽs, sit ipsa, nõ aũt distribuat unũ corpus: Perspicuũ est uocẽ cõmunionis, in passiua, nõ autẽ in activa significatione usurpari. nempè pro sortiente gratuitò nobis delata: iureq;, ac usu illius, in corpore & sanguine Christi.

Prę-

Præterea idẽ ipſe Paulus uocẽ κοινωνίας Paulò poſt exponit p uocẽ paßiuã: nẽpè participationẽ dũ ſũpto à eõtrarijs argumẽto ad eundẽ modũ epulas immolatitias, κοινωνίαν eße docet, corporis dæmoniorũ: quatenus ſanè conuiuas epularũ illarũ, κοινωνοὺς τῶν δαιμόνων appellat. ad quẽ modũ conuiuas mẽſæ dominicæ, unũ panẽ, unũ corpus in Chriſto hauddubiè eße dicebat. Et quos ſemel κοινωνοὺς uocarat: eos mox μετόχους, hoc eſt participes eße docet. Nõ poteſtis (inquit) mẽſæ Domini μετέχειν, hoc eſt participare: ſeu participes eße: & mẽſæ dæmoniorũ. ut idẽ ſit Paulo (hoc quidẽ in loco) communio & participatio: quæ ſanè apud Græcos actiuè exponi non poteſt.

Poſtremò ipſa Paulina argumentatio eo loco manifeſtè teſtatur, κοινωνίαν, paßiuè omninò accipi oportere. Cum enim facta collatione epularum immolatitiarum, ac deindè etiam ſacrificiorum in Iſraële cũ cœna Dominj: ad eundem modum, & epularũ immolatitiarum conuiuas, & qui de hoſtijs Iſraëlis edebant, illos quidem dæmoniorũ, hos uerò ſacrarij κοινωνοὺς uocat: ad quem modum conuiuas cœnæ Dominicæ, κοινωνοὺς

corporis & sanguinis Christi, sex unum corpus in Christo esse docet. Equidem si nox communionis in uerbis de cœnæ mysterio, actiue, pro distributione ipsa accipi debeat, quæ quidem ministri manibus fiat: sic ut cõmunionem illam, distributione, per ministri manus, corporis ipsius & sanguinis Christi naturalis constare intelligamus: ad eundem procul dubio modum, & alteram illam dæmoniorum communionẽ, distributione ipsa dæmonum per ministri manus, ac rursum communionem illam sacrarij diuini (quæ sanè & ipsa communionem corporis Christi in se complectebatur) ipsa etiam distributione per manus ministri constare oportebit. Aut sanè in uerbis de cœnæ mysterio nox cõmunionis actiuè exponi ad hunc modum nõ poterit: si in utraq; altera illa communione, actiuè ad eundem modum accipi non queat.

Quo pacto uerò, aut in immolatitijs epulis, dæmones ipsi, ministrorum manibus: aut rursum in Israelis sacrificijs (sub sacrarij nomine) Deus ipse, ipsumq; adeo corpus Christi, quod nondum extabat, distribueretur? cum neq; dæmones manibus teneri, nedũ distribui possent (ut de diuina natura taceam)

filius Dei nullum adhuc corpus habeat. Et nihilominus tamen Israelis Ecclesia, ipsi corpori ac sanguini Christi, in suis illis sacrificijs, uerè, & ad salutem communicaret, nisi si non eandem nobiscum essentiam spiritualem ederent, idemq; poculum biberent: nempè Christū: contra quàm Paulus docet.

Quod si neq; in epulis idololatricis, neq; item in Israelis sacrificijs, communio ipsa, uel dæmonum, uel sacrarij, in aliqua eiusmodi distributione constitui potest, quæ manibus ministri peragerentur: (quemadmodū sanè constitui nulla ratione potest). Equidē si collatio Paulina valere debebat: ne in cœna quidem Domini, communio nostra in corpore & sanguine Christi, constituī ullo modo poterit, in ea, quæ manibus ministri fiat, corporis & sanguinis sui naturalis distributione aut porrectione.

Vnde demum facile est uidere, contra mentem Pauli nos facere: si uocem communionis in uerbis suis de cœna mysterio, actiue, pro ipsa distributione & non potius passiue pro ipsa participatione, seu sotietate, iureq; & usu illius, accipiamus. in qua quidē sotietate, uerè, ad salutem nostram fruamur

ipso corpore & sanguine Christi: etiamsi de tali illius distributione, quæ per cœnæ elementa (ministri manibus) fiat, nihil omnino imaginemur.

Estq; iam perspicuum, uocem communionis, in Pauli de cœnæ mysterio uerbis: non actiuè, pro distributione porrectioneue per ministrum: sed passiuè potius, pro societate, iureq;, ac usu communionis accipi oportere: quæ nullam istiusmodi distributionem requirat.

Et si in cœnæ mysterio nox communionis actiuè pro distributione exponi non potest, de quo alioqui potissimum interpretes dissidere uidentur. sanè ne in ullis quidē Sacramentis actiuè exponi quoquomodo potest: cū sit unū atq; idē mysterium omnium Sacramentorum: quemadmodum dictum est iam ex parte, & adhuc dicetur.

Quod igitur ad uocem cōmunionis attinet in Sacramentorū mysterio: ea nobis (iuxta Pauli doctrinam) passiuè, pro societate, iureq;, ac usu cōmunionis: nō autē pro distributiōe, aut porrectiōe, actiue ipsa p manus ministri impertiendi, accipiendum esse uidemus.

Neq;

Neq; uero ideo, quòd uocem cõmunionis passiuè accipiendam esse dicimus, ipsam corporis & sanguinis Christi exhibitionẽ excludimus ab usu nostrorum sacramentorum. quæ enim esset sotietas, ususq; cõmunionis: si id non haberetur in quo communionẽ habemus? ac rursũ quomodo haberetur, si nõ exhiberetur? fatemur igitur exhibitum nobis esse iam olim, adeoq; & exhiberi sẽper, omniũ autẽ significantissimè in usu Sacramẽtorũ, corpus & sanguinẽ Christi Domini, alios qui usum illius habere non possemus, nisi exhiberetur. sed eam exhibitionem positã esse dicimus, nõ in ministri opere, ministerij etiam sui nomine: ut ille uidelicet suis manibus, in ipsis Sacramentorum elementis, aut cũ illis, distribuat naturale corpus & sanguinẽ Christi, sed in ipsiusmet Christi Domini opere. qui subuectis fide (per spiritũ suum) nostris in cœlum cordibus iuxta interiorem in nobis hominem: corpore nos ipsemet suo ac sanguine pascit ad uitam æternam, in usu legitimo suorum Sacramentorum.

Non igitur uerã ac salutarẽ corporis & sanguinis Christi exhibitionẽ ab usu Sacramẽtorũ excludimus: etiãsi illã neq; reali ulla

tum elementis connexione, neq; item ministri opere ullo constare dicamus. Atq; de uoce communionis tantum.

Non in eiusmodi sotietatibus super aliqua communione initis, fit quandoq; (quod ad rẽ ipsam attinet) ut qui talem sotietatem ineunt, utrinq; aliquid conferant; commune q; simul omniũ esse incipiat, quod anteà singulorum proprium erat, fit etiam, ut unus duntaxat, sua, in commune cum multis conferat, solusq; ipse communionem instituat.

Et in nostra igitur cum Christo Domino communione, id quoq; obseruandum est: num ille solus de suo, ad eam communionem conferat omnia, et nihil a nobis accipiat: an uerò utrinq; aliquid sit collatum, nempe et à nobis, quod nostrum anteà proprium erat, et à Christo Domino etiam, quod ad illum solum anteà proprie alioqui pertinebat.

Deinde si ad eam ipsam communionem utrinq; aliquid est collatum, nempe et à nobis, et à Christo Domino: id quoq; obseruandum erit, ab utra parte primum aliquid conferri coeperit: an uerò simul utrinq; omnia sint collata, plurimum enim interest, ordinem huius communionis obseruasse.

Hic uerò de utroq; hoc per scripturas docemur, nempe & utrinq; collatum esse ad eam communionem, quod antea cuiq; parti proprium fuerat: à nobis uidelicet quod nostrum proprium erat, & à Christo Domino quod ad illum propriè pertinebat. atq; à nobis prius in Christum Dominum, quod nostrum proprium fuerat: Deinde uero à Christo Domino, quod illius proprium erat, in nos collatum esse.

Diximus autem anteà, neq; nos cũ Christo Domino, neq; illum nobiscum, ullam habere naturalem communionem in diuina natura ipsius: iuxta quam alioqui cũ suo Patre duntaxat & sancto spiritu, est unus atq; æternus Deus, sed communionem quam & ille nobiscũ habet, & nos cum ipso uicissim, consistere in humanitate ipsius, hoc est, in corpore & sanguine ipsius.

In hac igitur corporis & sanguinis sui communione, docet Scriptura, Christum Dominum, corpus, & sanguinem suum, & accepisse à nobis: & rursum etiam nobis tradidisse. Accepisse à nobis Christum Dominũ corpus & sanguinem suum, docet Paulus: dum illum semen Abrahæ superassumpsisse, Heb.2.

eiusdem item carnis & sanguinis participē factum esse, cum quo pueri (hoc est Catholica dei Ecclesia) communionem habebant. Et cum in forma Dei antea esset, formam serui accepisse testatur. Tradidisse autē nobis illum, corpus & sanguinē suum uerba cœnæ solemnia illa, apud Euangelistas, & Paulum ipsum docent. Videndum igitur erit, quidnā in communi iam nobis simul & Christo Domino corpore ac sanguine nostro, aut nobis, aut Christo Domino proprium fuerit: antè institutam illius nobiscum, & nostram secū communionem. quod enim nobis proprium antea fuerat, id sane à nobis in illā: quod uero illius proprium erat, id in nos ab illo collatū esse in ea cōmunione instituenda intelligemus. quorsū enim attinebat, Christū D. aut à nobis accepisse id quod prius habuisset: aut in nos cōtulisse, quod (antè institutā etiam communionē) ad nos alioqui pertinebat? Iam cum clarissimis scripturæ testimoniis doceamur, Christum D. (quatenus ex matre uirgine, spiritus sancti opificio genitus est) ex patribus (quantū ad carnem attinet) progenitū esse. & dubiū nō sit, liberos omnes ex ipsis progenitorū suorū lūbis, corporis & sā

Phil. 2.

guis

guinis ſuã originẽ (iuxta ſubſtantiã ipſam) ducere, ex Dei ipſius ordinatione: dũ ad primos noſtros progenitores diceret ex æquo: Progignite, multiplicemini, & replete terrã. Cũ itẽ ſcriptura aperte teſtetur, Chriſtũ D. ad eundẽ plane modũ (duabus dũtaxat exceptionibus additis) participẽ factũ eſſe noſtræ carnis & noſtri ſãguinis, in ſua incarnatione: ad quẽ modũ nos quoq; progignimur. Præterea cũ Angelus (in ſua ad matrẽ uirginẽ legatione) oẽs progignẽdi partes, uirgini ipſi matri diſertè adſcribat: dũ eã & cõceptũrã & paritũrã eſſe annũciat filiũ, etiamſi nullius uiri attactum ſuſtinuiſſet: atq; in ſuis illis exceptionibus, nihil aliud de lege naturæ in liberis progignẽdis mutet, quam quod uirgo mater, Chriſtũ D. primũ uirtute ac opificio ſpiritus ſancti, non aũt ullo ullius hominis opere: deinde factũ, nõ aũt ulli peccato ſubiectũ, cõceptura & paritura eſſet. cætera uerò oĩa ueræ ac naturalis matris officia, in progignẽdo ſuo filio, iuxta leges naturæ humanæ pageret. Cũ hæc ita inq̃ claris ac euidentibus ſcripturæ teſtimonijs doceamur: ſimul ſanè docemur, Chriſtũ D. in inſtituẽda hac noſtra cõmunione, corporis & ſãguinis ſui ſubſtãtiã (nobis ſolis alioqui ãte à propriã) à nobis ex Heb. 2.

matre

matre uirgine accepisse. Et proinde id quod ipse de suo, ad eandem corporis & sanguinis sui nobiscum communionem attulit, aliter ad esse oportere: quam ipsa substantia corporis & sanguinis sui naturalis: etiamsi ab illo nobis corpus & sanguinem in uerbis cœnæ tradi audiamus. neq; enim traditio in uerbis cœnæ, uiolat fidem locorum: quæ illum, corporis & sanguinis sui substantiam, à nobis, ex matre uirgine, progenitrice sua (spiritu sancto autore) accepisse testantur. Et certum est tamen, aliquid illum de suo (in corpore suo & sanguine) ad nostram secum communionem contulisse: posteaquam in uerbis cœnæ, & alibi, corpus se & sanguinem suum nobis in cibum & potum tradere testatur. Videndum est igitur, quidnam nobis ad nostram secum communionem, de suo contulerit Christus Dominus, & quidem in corpore & sanguine suo: posteaquam illius substantiam à nobis (dudum alioqui nobis antea propriam) ex matre uirgine (ut dictum est) accepit, neq; enim cogitandum est, Christum Dominum in cœnæ suæ uerbis ludere ita uoluisse: ut uel nihil de suo nobis traderet, in corpore & sanguine suo, cum nostra nos

bis

bis secum in corpore & sanguine suo communionem attestaretur in cœna sua, & commendaret: uel id ipsum traderet, quod ad nos propriè iam olim (etiam antè institutam illius nobiscum communionem) pertineret. quodq; à nobis ipse (ut dictum est) in institutenda hac ipsa nobiscum communione (per suam incarnationem) acceperit. Perinde est enim, siue Christum Dominum, de suo nihil omnino: siue id quod nobis proprium alioqui ante iam fuerat, ad nostram communionem contulisse dicamus. quod sanè ab omni Christiano homine alienum esse debet.

Indicat nobis igitur scriptura etiã, quidnã Christus Dominus in corpore & sanguine suo nobis, ad nostram secum communionem contulerit: nempè meritum & gloriam passionis, mortis, & resurrectionis suæ, quæ illi soli alioqui in corpore suo à nobis accepto propria erant. quæq; ad nos pertinere nullo modo potuissent, nisi ille eorum nobis communionem in corpore & sanguine suo (à nobis hac fini accepto) gratuito (prò suæ misericordia) detulisset.

Cumq; meritum ipsum passionis ac mortis Christi, gloria item suæ resurrectionis,

soli

ſoli ipſi (in corpore ſuo à nobis accepto) pro-
pria eßet: neq; ad nos pertinere ullo modo
poßet, niſi per delatam nobis eius communi-
onem. Atq; hoc ipſum meritũ paßionis &
mortis Chriſti, eademq; ipſa reſurrectionis
ſuæ gloria, nõ minus ad nos iam quã ad Chri-
ſtum ipſum in corpore ſuo pertineat. Perſpi-
cuum eſt, Chriſtũ D. ad noſtram ſecum com-
munionem in corpore & ſanguine ſuo, non
equidẽ horum ſubſtantiã naturalem (quam
nobis anteà propriam ad ſuam nobiſcum cõ-
munionem ipſe a nobis acceperat) de ſuo cõ-
tuliße: ſed meritum potius ac gloriam ſacro-
ſancti corporis & ſanguinis ſui, morte ſua
partam, & reſurrectione apertißimè decla-
ratam.

Ita ſane Chriſtus ipſemet D. in cœnâ ſua de
corpore ſuo loquitur, non quatenus incarna-
tus eßet: ſed quatenus iã iã eßet moriturus.
Et Paulus Apoſtolus cœnã Domini, non ſanè
incarnationis, ſed mortis dominicæ rememo-
rationẽ eße docet. ut intelligamus, cœnæ do-
minicæ uerbis, communionẽ nobis in corpore
& ſanguine Chriſti D. cõmendari, non iuxta
ſubſtantiã ipſorũ naturalem, quam ille nobis
multò anteà propriam, in inſtituenda ſua no-

biſcum

biscum communione, à nobis (ut dictum est) ex matre uirgine accepit: sed iuxta id quod ipse de suo proprio cōtulit ad eam ipsam cōmunionem, iuxta meritum inquam paßionis ac mortis suæ, & gloriam admirandæ suæ resurrectionis.

Hoc sanè testantur uerba ipsa Christi D. de corpore & sanguine suo in cœna addita: Quod pro uobis traditur: Qui pro uobis fūditur. ut intelligamus cœnā Domini, esse κατα δελιαν non equidē incarnationis Dominicæ. quà ille substantiā corporis & sanguinis sui à nobis in communionem suā nobiscum accepit: sed mortis & passionis suæ, qua nostra omnium corpora, & nostrū omnium sanguinem, suspenso in cruce corpore suo, & fuso suo (in carne nostra) sanguine, perfecta planè, reddidit: prorsusq; sanctificauit. quemadmodum Paulus docet. preterquàm si hanc huius meriti ac gloriæ, huius (inquā) sanctificationis donum, morte Christi Domini (de suo) nobis gratuitò in cōmune delatum, nostra ipsi impietate à nobis abijciamus: nosq; ab illius ita nobis delata communione, destinato contemptu nostro (Iudæ exemplo) excludamus.

Habe-

Habemus igitur quidnam utrinq; sit collatum (à nobis uidelicet, & à Christo Domino) ad eam, quæ est inter nos & ipsum, communionem. nempe à nobis collatam esse (ex matre uirgine) substantiam ipsam (quæ nobis propria erat) corporis & sanguinis ipsius. Ab ipso uerò collatam uicissim esse gratiam, partam per mortem suam nostrum omnium sanctificationem: quæ illi, tradito in mortem (in carne nostra) corpore suo, & fuso item suo sanguine, propria alioqui erat.

Inde uerò etiam intelligere & alterum illud possumus, quod in ea quæ est inter nos & Christum communione obseruandum esse diceb amus. nempe simul ne, an uerò per temporis intervalla utrinq; collata sint ista, ad eam ipsam communionem. cum enim communio ipsa non ante cœperit instituì, nisi in ipsa Christi Domini incarnatione: & quod à nobis ad eam communionem est collatum, in ipsa incarnatione collatum est: quodq; ab illo est collatum, morte ipsius collatum est. Dubium sanè esse non potest, prius multò à nobis, quod nobis proprium fuerat: quàm à Christo Domino, quod suum erat, ad eam cõmunionem, quæ inter nos & ipsum est, collatum

latam esse. quodq; iam in cõmune nos de nostro ex matre uirgine contuleramus in Christi Domini incarnatione: id iam nobis cum illo commune fuisse, etiam ante passionem ac mortem ipsius, ut denuò id ab illo in commune conferri non oportuerit: nisi si actũ agere uoluisset. quod nobis sane de Christo Domino cogitare non licet.

Verumq; igitur id ex scripturis docemur in communionis quæ inter nos & Christum est, consideratione. nempe utrinq; aliquid collatum esse ad eam communionem quæ est inter nos & ipsum in corpore & sanguine ipsius: quidq; utrinq; sit collatum: Et quo tempore utrinq; sit aliquid collatum.

Nunc porrò uidendum erit, cur ita Patri nostro cœlesti complacuerit eam quæ est inter nos & suum unigenitum filium cõmunionem instituere, ut ad eam utrinq; aliquid conferretur: ut ipsa communionis nostræ cũ Christo ratio (quatenus uerbo Dei nobis est patefacta) plenius cognosci possit.

Vita æterna ad nos in primo nostro progenitore Adamo (priusquam peccasset) pertinebat. quatenus ille quidem in similitudine Dei, conditus erat: sanctus uidelicet ac im-

mortalis, uitamq; uicturus æternã, si non sibi ipsemet (per suam inobedientiam) mortem
Gen.2.3. æternam accersiuisset. in illius enim lumbis iã tũ eramus omnes: ut quæ illius (ante peccatũ) erãt, nostra quoq; futura fuerint omnia. quemadmodum & nunc, quæ post peccatum, illius erant: nostra quoq; esse etiam
2.Cor.15 Rom.5. num (quod in nobis quidem est) uidemus.

Ab hac uerò uita æterna, etsi p eiusdẽ primi nostri progenitoris inobedientiã excluſi prorsus essemus: sic ut mortis æternæ impetũ in nos, tyrãnum noster (satã inquã ipse)
Heb.2. haberet. Quia tamẽ nõ ullo rebelli cõtemptoreq; diuinorũ omniũ animo progenitores nostri peccarũt: sed iudicio suæ rationis per
Gene.3. imprudentiã decepti, ubi diuini iudicij seueritatẽ nõ satis perpẽdissẽt: succurrit illis, & nobis (in illis) oĩbus, diuina misericordia, efPsal.103. fecitq; ut uita nihilominus æterna, nõ quidã in nobis ipsis iã, qui ab illa prorsus exciderãmus, sed in filio Dei ad nos ptineret: quatenus tantũ ipsius beneficiũ non cõtẽneremus.

Interĩ uerò satisfieri oportuit etiã, iustitiæ Patris Dei: quæ quidẽ in lato semel decreto suo aduersus nostri progenitoris inobedientiã, nõ potuit uiolari. Eiusmodi igĩtur reatus diuinæ mortis nostræ cõstitui oportuit in filio

deĩ

Dei, p quē alioqui uita æterna, ad nos quālibet morti æternæ ſubiectos (iuxta patris Dei prouidentiā) ptinebat: quod nobis quīdē uitā æternā, iā amiſſā, reſtitueret. ſed iuſtitiæ nihilominus patris Dei etiā (in ſuo iudicio) ſatiſfaceret. Nō enī repugnat in Deo iuſtitiæ, miſericordia: ſed ueritas, iuſtitia, pax, & bonitas, ſeſe in illo mutuò oſculātur. Pſal.85.

Porrò decretū æternæ Dei (aduerſus noſtrā carnē & noſtrū ſanguinē) iuſtitiæ hoc erat, ut aut in uita æterna pmaneret: ſi Domino Deo ſuo, in mādati ſui diuini obediētia adhereret. aut ab illa omninò ita excluderetur, ſi mādatū diuinū quoquomodo per trāſgreſſionē uiolāſſet: ut ad eā reſtitui in æternū, nullis ſuis uiribus, nullaq; ſua induſtria aut dignitate unq; omninò poſſet. Æternū igitur hoc decretū iuſti Dei, atq; īmutabile eſſe oportuit: quemadmodū iuſtitia ipſius æterna atq; īmutabilis eſt, neq; caro noſtra ſub mortē iā p peccatū concluſa (ad quā alioqui ad hūc uitā æternā, in Dei filio iuxta patris Dei prouidentiam pertinebat) ullo alio modo ad eam ipſam uitam (a qua exciderat) reſtituī potuit, niſi rurſum per obedientiam ſuam: quemadmodū per propriā inobedientiam in primis noſtris progenitoribus a uita excluſa

Gene.1. Eccli.15.

erat. Alioqui nã esset eternũ atq; ũmutabile decretum illud Dei: quo nostræ ex non alterius carni, nitam eternã addicit in nostris primis progenitoribus: quatenus illi in eadem ipsa carne nostra mandato ipsius obedijsset.

At uerò in uniuersa carne nostra humana nemo reperiri potuit, qui amissam semel obedientiam redintegrare rursum posset: atq; ideò demum ultra quoq; eternam restitueret. Et tamen in carne nostra obedientiã redintegrari oportebat, siquidẽ nostra caro seruari rursũ debuisset: ne præter decretũ Dei semel prolatũ seruaremur. cũ alioqui 2. Tim. 1. Ephe. 1. uita ipsa eterna ad nos (quantumuis morti iam subiectos) in filio Dei, iuxta patris Dei (ut dictum est) prouidentiã pertineret.

Cum igitur uita nostra (etiam auti conditos progenitores nostros primos) in filio Dei ad nos pertineret: Et eam in primis nostris progenitoribus amissam, nemo inter homines Adamo similes in carne nostra restituere posset: quatenus nemo amissam seruandæ obedientiæ redintegrare rursũ potuit. Et tamen obedientiã nihilominus in carne nostra Heb. 2. redintegrari oportuit, siquidẽ (iuxta decretũ Dei) carne nostra seruari rursus debuit. Post

Postebat hoc æterna atq; immutabilis Dei (in suo decreto) iustitia, ut is ipse, in quo, uita æterna, ad carnẽ nostrã ptinebat (nempe filius Dei ipse) fieret quod nos sumus, nẽpe homo: ut amissã p hominem obedientiã, homo, in hominibus (quod nemo alius præstare potuit) redintegraret. Atq; ita redintegrata demũ carnis nostræ in suo corpore obedientia: Et expiata item eiusdem carnis nostræ in corpore suo inobedientia: uiam rursus ad uitam æternam per hominem in carne nostra amissã, homo etiã in eadẽ ipsa carne nostra, hominibus, suæ inquam Ecclesiæ, præpararet.

Sed cum id cum diuinæ existentiæ æternitate pugnaret, ut Deus uerteretur in hominem, desineretq; semel esse quod erat. fieri enim non potuit, quin conuerso in hominẽ (hoc est, in carnem) Deo filio: Deus quoq; Pater, & spiritus sanctus simul conuerteretur: iamq; desineret, æterna atq; immutabilis esse, diuina illa, spiritus, non autem carnis, existentia, quæ quidem una est atq; eadem prorsusq; indiuidua ab æterno, & in Patre simul, & in filio, & in spiritu sancto. Cum (inquam) id modis omnibus pugnaret, cum æterna illa & immutabili, unaq; itẽ & Osee. 13. Iaco. 1. Deut. 6.

eadem ac prorsus individua diuinitatis (qua
Deus spiritus est) in patre pariter, ac filio,
Io.4. & spiritu sancto existentia: ut Deus filium,
in carnem seu hominem, mutata spiritus exi-
stentia, verteretur: Et tamen filium Dei (ut
decreto patris sui, in restituenda nobis salu-
te nostra, satisfaceret) hominem seu carnem
fieri oporteret, ad redintegrandam (quæ per
nostros progenitores uiolata fuerat) nostrã,
Rom.8. in carne etiam nostra, obedientiam. Visum
est patri Deo, ut unigenitus eius filius in sua
incarnatione, non equidem æternam spiritus
illam existentiam, carnis existentia cõmuta-
ret, cum id ipsa diuinitatis totius existentia
indiuidua ferre non posset: sed huic æternæ
& nunquam in æternũ mutabili spiritus exi-
stentiæ, semen Abrahæ, ex matre uirgine
Heb.2. (autore spiritu sãcto) assumptũ, superindu-
Matth.1. eret. atq; ita demum permanente prorsus in-
Luc.1. tegra in æternum diuinitatis suæ, una illa ei-
adẽq;, & individua cum patre suo, & spiri-
Heb.2. tu sancto existentia, particeps nihilominus
fieret carnis nostræ & nostri sanguinis: ut
in nostra carne, diuinæ suæ naturæ per eius-
modi assumptionẽ coniũcta, carnis etiam no-
stræ inobediẽtiã (corporis sui oblatione) ex-

pias

piaret per mortem: & amissam olim obedientiam rursus redintegraret, per donatam nobis gratuitò omnis suæ sanctitatis & innocentiæ (in carne nostra seruatæ) omnis item sui meriti ac gloriæ (morte sua partæ) plenã ac salutarem communionem. Ita enim & nõ aliter satisfieri potuit æternæ patris Dei in suo decreto iustitiæ. Et nihilominus æternæ illi diuinitatis in filio Dei existentiæ ac dignitati nihil omninò derogari. Rom.8.

Ita scriptura passim, oportuisse in Christo Domino omnem cõpleri iustitiã: oportuisse illũ pati: oportuisse exemplo serpentis æneiexaltari: oportuisse denique mori, ac resurgere: Et proindè oportuisse etiã carnis nostræ participem fieri (ut uerè mori posset) testatur. Cũ enim in solã duntaxat nostrã, & nõ aliã ullã carnẽ mortis imperiũ apud Satanã (p peccatũ nostrũ) extaret. Sanè neq; mori neq; pati uerè, & proindè ne iustitiæ quidẽ patris sui satisfacere Christus D. potuisset: nosq; adeò oẽs in peccato & morte hærere oẽs oporteret: si ullius alterius & nõ nostræ carnis, Christus D. particeps factus fuisset. Matth.3. Matt.16 Luc.9. 17.24. Io.3. Rom.8.

Nõ tãtũ igitur id scripturæ autoritate docemur, quod Christus D. corporis & sanguĩs

sui substantiam, non equidem nobis in cœna sua donauit, sed a nobis ex matre uirgine in sua incarnatione accepit. Verum ratione quoq; diuini hac in parte consilij patefactã nobis habemus. ut intelligamus, per redemptionem nostræ in carne nostra obedientiæ, quam Paulus legis iustificationem uocat, & in carne in nobis adimpleri oportuisse docet: uitam nobis rursus æternã in Christo Domino restitutam esse.

Rom. 8.

Sed in hac tamen carnis nostræ per Christum Dominum superassumptione, id etiam obseruare debemus: quod per spiritum sanctum non temerè exceptum esse audimus. nempè carnis nostræ qualitatem: hoc est peccatum, seu peccati seruitutem. Hic enim spiritus sanctus, carnem nostram in Christi corpore, hac qualitate liberat: per angelicum apud matrem ipsam, et Paulinum rursus testimonium. cui & Prophetæ alioqui, & Israeliticorum sacrificiorum umbræ modis omnibus astipulantur. Angelus enim sanctum uocat, quod uirgo mater ex sese (autore spiritu sancto) progenitura erat. Et Paulus peccati conditionem diserte excipit, in Christi Domini humanitate. ut ostenderet, substãtiæ

tiam quidem ipſam carnis noſtræ naturalis (qualis nimirum in Adamo ante peccatum fuerat) Chriſtum Dominum in ſe aſſumpſiſſe: Cæterum contractam illam poſt peccatum qualitatem ipſius non item nempè peccati (ut dictum eſt) ſeruitutem. Quod & alibi Scriptura alt, illum, ſuſtuliſſe peccatum mundi: in illum tranſlatas eſſe omnes iniquitates noſtras: & quæ eius generis habentur. id pij omnes intelligunt, pro culpæ peccatorum imputatione accipiendum eſſe. hoc eſt, culpã peccatorũ noſtrorũ, ſeu iniquitatum noſtrarum (imputatione diuini iudicij) in ipſum tranſlatam eſſe, ut corporis ſui immaculati oblatione propitiatoria expiaretur.

Subſtantiam duntaxat igitur carnis noſtræ aſſumpſit à nobis Chriſtus Dominus in inſtituenda nobiſcum communione: non autẽ qualitatem illius, nempè peccati ſeruitutem. quæ non equidem per noſtri creationem, ſed per progenitorum noſtrorum peccatum, nobis propria eſſe cœpit. qualitas autem carnis noſtræ per peccatum inducta, nobis manſit propria in Chriſti Domini incarnatione.

Reliquit porró nobis adhuc propriam carnis noſtræ qualitatẽ iſtam Chriſtus Dominus

ēminus in ſua incarnatione: ut ſubſtantiā carnis noſtræ, in ſuo corpore, p ſuam obedientiā ſanctificaret. quemadmodū illā primus noſter progenitor olim, p ſuā inobedientiā, in uniuerſa ſua poſteritate cōtaminarat. atq; ſanctificata ita demū in ſe carne noſtra, qualitatē carnis noſtræ nobis relictā, ſancta corporis ſui oblatiōe loco noſtro facta, expiaret: p ūdè atq; ſi omniū mortaliū nocētiſſimus eſſet.

Id ſanè præſtare non poterat, coram iuſto patris ſui iudicio: ſi cū carnis noſtræ ſubſtātiā, qualitatē quoq; illius in ſe recepiſſet. Prouidè Deus optimus ita eſt moderatus cōſiliū diuinæ (hac in parte) prouidentiæ ſuæ: ut quoniā Chriſto Domino in carne noſtra, non pro ſuo quod nullū habebat, ſed pro noſtro omnium peccato moriendū erat, ſubſtantiā duntaxat carnis noſtræ in ſe reciperet: non autem qualitatē. alioqui ſi qualitatē quoq; carnis noſtræ cum eius ſubſtantia recepiſſet, nempè peccati ſeruitutem: non illi iam pro nobis noſtrōue peccato, ſed pro ſeipſo ſuoq; peccato moriendum fuiſſet.

Vt igitur nō pro ſe ſuoq; ipſius peccato, ſed pro nobis noſtroq; peccato mori in carne noſtra: mortiſq; ſuæ merito, propriā adhuc illā

carn

carnis nostræ in nostris corporibus qualitatẽ (ipsam inquã peccati & mortis seruitutẽ) nõ quidem a nobis in uita hac nostra tollere omninò (nõ enĩ amplius uirtutẽ suã diuinam in nostra infirmitate illustrãdi occasionẽ illã habuisset) sed culpã illius oẽm merito corporis & sanguinis sui innocẽtissimi in eadem ipsa carne nostra eluere expiareq; posset. Posset itẽ, expiata ad hũc modũ culpa omni propriæ nostræ qualitatis, eã uerè demũ cõtegere in patris sui cœlestis iudicio, propria corporis & sãguinis sui qualitate: nẽpè innocentia, iustitia, & sãctitate, in qua neq; ipsa etiam legis diuinæ seueritas desiderare ullo modo aliquid omnino queat. delata nobis grauitate plena illius & salutari cõmunione. Vt inq; hæc oĩa filius Dei (nõ uiolato interim æternæ patris sui iustitiæ decreto) fideliter præstare posset, posteaquàm uita adhuc æterna in ipso ad nos, etiã post lapsũ progenitorum nostrorum (iuxta æternã Dei prouidentiam) pertinebat: substantiam ipse duntaxat carnis nostræ a nobis (ex matre sua uirgine) in sua nobiscum communione accepit. Nobis uero de suo uicißim ad eandem ipsam communionem detulit, propriam sibi alioqui soli corporis & sanguinis sui

quas

qualitatem, sic ut per hanc nostram cum ipso, in qualitate corporis & sanguinis sui cōmunionem tàm innocentes, iusti, & sancti esse censeamur in conspectu Patris Dei: quàm ipsemet Christus Dominus, innocens, iustus, & sanctus in carne nostra apud Patrem suum habetur: etiamsi nos propriam adhuc illam carnis nostræ qualitatem (peccati inquam & mortis seruitutem) in nobis hærentem, dum hic uiuimus, habeamus.

Indè uerò iam facilè & perspicuè cognosci perspiciq; posse putamus, & partes ipsas, & totam adeò rationem (uerbo nobis diuino patefactam) eius communionis, quæ est inter nos & Christum Dominum in corpore & sanguine ipsius: nempè ut iuxta naturalis sui corporis & sanguinis substantiam, quam ille non equidem de suo nobis corpore ad eam communionem contulit, sed à nobis potius (ex matre sua uirgine purissima) accepit: ipse sit caro ex carne nostra, sanguisq; è nostro sanguine, & os ex ossibus nostris per suam incarnationem. Iuxta uerò collatam in nos gratuitò corporis & sanguinis sui (aliàs soli illi propriam) qualitatem: nos uicissim simus hauddubiè (gratia sit

deo

Deo) caro ex carne, sanguis ex sanguine, & ossa ex ossibus ipsius: quicunq; membrorum ius aliquod in eius Ecclesia habemus. ut neq; nos iam nisi simul cum ipso damnari possimus: neq; ipse, nisi simul iam nobiscum etiam, regnare deinceps, ad dextramq; Patris sui in cœlesti gloria considere possit. quam equidem consolationem in nostra istiusmodi cum Christo Domino communione, neq; Satan, neq; mundus, neq; mors ipsa eripere nobis ullo modo potest. & qui illam in corde suo sentiunt, de alijs Sacramentorum cõtrouersijs non magnopere contendent.

Porrò exposita iam ad hunc modum cõmunione nostra cum Christo Domino in corpore & sanguine ipsius: dispiciendum nobis demum erit, in Sacramentorum consideratione: in quanam communionis nostræ hujus cum Christo Domino parte ponendũ sit potissimum mysterium omnium Sacramentorum. Hoc est, eam partem communionis huius signis Sacramentorũ adumbratam, qua Christus Dominus à nobis aliquid accepit: An uerò ad ea illa, qua nobis ille communis fratrum aliquid esse uoluit, quod suum propriũ erat. An uerò simul utraq;

Atq;

Atq; hic paulò esse attentiores uellem pios omnes: nam hic potissimum cardo omnis, totius ferè controuersiæ in re Sacramẽtaria uersatur. Et si id diligentius paulò ab omnibus obseruatum fuisset, minus multò dissidiorum hodiè proculdubio in causa Sacramentaria haberemus.

Et nos quidem non obscurè iam indicasse uidemur: quanã in parte nostræ cum Christo Domino communionis, Sacramentorum omnium mysterium positum esse existimemus. nempè in ea, qua in nos à Domino, non autẽ à nobis in Dominum aliquid in cõmune collatum esse constat. addemus tamen adhuc paucis doctrinæ huius nostræ rationem.

Ac primũ nemini dubiũ esse putamus, signa omnium Sacramentorũ esse signa diuinæ erga nos gratiæ: non iuxta quam conditi sumus, aut etiamnũ in uita hac sustentamur: sed iuxta quam, cum iræ & mortis filij essemus, in filios Dei rursum, uitæq; æternæ hæredes, in Christo regeniti sumus. quo quidẽ nomine etiam, signa remissionis peccatorũ, iustitiæ, ac regenerationis nostræ uocãtur: Quatenus igitur signa ipsa Sacramentorũ, signa sunt collati in nos salutaris beneficij in

Christæ. Hactenus sanè ipsum quoq; Sacramentorũ mysteriũ in ea haud dubiè nostræ cũ Christo Domino cõmunionis parte cõstitui oportet, quã in nos ille de suo aliquid cõtulit: nõ autẽ à nobis aliquid acceptit.

Deindè id quoq; extra omnem cõtrouersiam esse nõ dubitamus, in Christi præsertim Ecclesia: quæ Deũ sanè ex æquo, & in æterna decretorũ suorũ iustitia, & in immẽsa pariter bonitate ac misericordia prædicat & adorat: nos, eãdem omnino cũ Christo Domino, corporis & sanguinis substantiã in primis iã olim progenitoribus nostris habiuisse: multò etiã ante Christi D. incarnationem. Atq; in Christi demũ Domini incarnatione, ista in illũ de nostro ex matre uirgine collatã esse, ad eã quæ inter nos & ipsũ est cõmunionẽ: ut ipse particeps illius dũtaxat fieret una nobiscũ, nã aũt solus totã, nobis exclusis, possideret. Quare cũ substãtia ipsa corporis & sãguinis Christi, nostra prius fuerit: q̃ in ipsius participationẽ Christus D. uenisset. Eo postea nunq̃ nostra esse desierit: Equidẽ dici non potest, nobis à Christo D, ad nostram secum communionem per mortem suam collatã esse, multò minus autem ad Sacramentorum mysterium referri potest, quatenus sanè

Sacra-

Sacramentorum omnium mysterium, in ea potißimum nostræ cum Christo communionis parte est positum, qua in nos ille de suo aliquid ad amißæ salutis nostræ recuperationem cõtulit, (ut pluries est dictum) nõ autem à nobis accepit.

Postremo id quoq; certum est: Non posse communicari ullis omnino siue rationibus, siue testimonijs, aliquam uel minimam accessionem in nostro corpore & sanguine (quod quidem ad naturalem eorum substantiam attinet) ex delata nobis à Christo Domino per mortem suam, corporis & sanguinis sui cõmunione. Neq; enim aut antea minus fuimus homines quàm nunc sumus: aut nunc etiam magis sumus, futurine unquàm sumus homines, quàm antè fuimus: si ipsam corporis & sanguinis nostri naturalis substantiam spectemus, quam de qualitate nunc non agimus. Ex proinde si substantiam ipsius corporis & sanguinis Christi ab illo nobis ad nostram secũ communionem conferri in usu Sacramentorum dicamus: simul quoq; illum eiusmodi sanctæ donationem facimus, cuius alioqui accessio, nullis omnino neq; rationibus, neq; testimonijs comprobari queat. quod equidem per

perindè fermè est, ac si Christum Dominum in suis institutionibus ludere voluisse dicas mus. quod tamen quantum à pio quouis homine alienum esse debeat, facilè quiuis intelligere potest.

Et tamen multis uisa est hactenus doctrina illa, de dono substantiæ ipsius corporis & sanguinis Christi in usu Sacramentorū, plurimum habere ponderis ad tuendam efficaciam ac dignitatem Sacramentorum. Adeoq; & contemptus Sacramentorū accusati sunt omnes, qui donum substantiæ ipsius corporis & sanguinis Christi naturalis in usu Sacramentorum ita non uellent agnoscere: ne eam in signorum elementis includi realiter perq; illa manibus ministrorum tradi fateretur. cum res ipsa alioqui (paulò modò diligentius inspecta) clarissimè testetur, hac tali doctrina, magis multò eleuari ueram dignitatem atq; efficaciam Sacramentorum, quàm commendari: adeoq; & lucem ipsam partæ nobis salutis nostræ in Christo non leuiter obscurari. quam alioqui ita obscuratam esse uidemus per papisticam illam transubstantiationem, ut offusi adhuc per illam fumi multi non facilè apud multos adhuc pios alioqui

& doctos homines discuti possint. Spes est tamen fore ut breui discutiantur per gratiã Dei, qui causam Euangelij sui non deseret: sed ad gloriam filij sui indies magis ac magis illustrabit.

Statuimus igitur mysterium omnium Sacramentorum in ea potissimũ communionis nostræ cũ Christo parte cõsistere: qua Christus Dominus, quod suum propriũ in suo corpore & sanguine erat, nobis gratuitò cõtulit, ad nostrã secũ communionẽ. nẽpè innocẽtiã, iustitiã, & sanctitatẽ meritũ utẽ passionis & mortis suæ, & gloriam admirabilis suæ (in carne nostra) resurrectionis.

Hæc porrò communio, agnoscitur & sentitur fide (autore spiritu sancto) in usu legitimo Sacramentorum. Et cum fides, sit rerũ, non equidem præsentium, multò minus uerò sensibilium: sed futurarum quæ in spe sunt positæ, & proindè absentium quoq;, & quæ hic in uita hac uideri sentiriq; non possunt. perspicuum est, ne ipsius quidem qualitatis à Christo Domino in corpore suo nobis cõmunicatæ, realem ullam siuè præsentiã siuè exhibitionem in uita hac nostra posse cõstitui: nedum ut substantiæ ipsius naturalis corporis

rie Christi præsentia aut exhibitio (quæ per signorum elementa manibus ministri fiat) cõstitui ullo modo possit, in usu Sacramentorum.

Scio hic disputari de fidei præsentia, apprehensione, seu perceptione: Et realem præsentiam ita exponi, ut fictè dum erat opponatur: Sed quorsum attinet nouam formare Grammaticam, de vocibus, quæ ad causam ipsam non pertinent: Et in Scripturis nusquam habentur? Veram ac salutarem corporis CHRISTI communionem libenter ac reuerenter agnoscimus: Realem ac substantialem (ut uocant) ex Scripturis non nouimus. Imò uerò cum eam ipsam ueram ac salutarem communionem, fide sola agnosci ac sentiri, non autem sensibus ullis percipi audimus: Et apertam Pauli doctrinam habeamus, fidei præsentiam, cum reali (iuxta speciem ipsam) præsentia consistere non posse: (Quo pacto enim quis speret, quod habet? Aut quo pacto credat, quod non sperat?) Equidem non solum putamus non posse coniungi ullo modo realem ullam (iuxta speciem) præsentiam, ne dicam exhibitionem quæ ministri manibus

fiat, eam fidei præsentia: sed alteram alteræ potius tolli etiam (iuxta Pauli doctrinam) non dubitamus. Ego quidem solo nomine, doctrinam hanc de reali iuxta ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi in usu Sacramentorum per manus ministri exhibitionem minime omnibus alienam esse, iudicare omnes possunt, à natura ipsa Sacramentorum: qui illa & fidei nostræ exercitia, & ad obsignandos in fide nostros animos institutæ esse fatemur.

Dum igitur communionem nostram cum Christo Domino, ea potissimum parte, mysterium Sacramentorum esse dicimus: qua parte à Christo Domino, id quod illi alioqui soli in corpore & sanguine suo proprium erat, in nos id gratuitò ad nostram secum cõmunionem collatum esse non dubitamus. Dũ rem eam ipsam communionem fide sola agnosci & sentiri dicimus, in usu potissimum Sacramentorum. simul sanè realem illam eius dem præsentiam atq; exhibitionem corporis & sanguinis Christi naturalis quæ ministri manibus fiat, à natura ipsa Sacramentorum protsus alienam esse minimè obscurè declaramus.

Atq;

Atq; hæc ita de mysterio Sacramentorũ nunc dixiße, satis eße putamus. iam uerò de fine Sacramentorum uideamus.

Fines porrò Sacramentorum multos ab alijs constitui uidemus, neq; nos hic magnum momentum facimus: sed quia ex ordinem et numerum illorum perturbari apud sectarios potißimum uidemus, nos ad unum præcipuũ omnium Sacramentorũ finem, alios fines omnes malumus reuocare. ut alios fines omnes, ueluti fructus quosdam, aut membra quædam, primi illius finis esse intelligamus. Præcipuum autem omnium Sacramentorum finem esse dicimus: ut usu illorum legitimo, nostra cum Christo Domino communio (in ijs quæ ille ex suo dono gratuitò nobis secum in corpore & sanguine suo communia esse uoluit) perpetuaq; illius fruitio, piorum animis in eius Ecclesia penitus insigatur: ipsaq; adeò Ecclesia tota, in perpetua fruitionis istiusmodi fide obsignetur: ex Christi Domini institutione.

Deus nimirum Opt. Max. nostræ sese infirmitati attemperare (hac in parte) uoluit: et in donanda nobis Christi Domini communione, imitatus est Politicos Regum donatis

ones. Apud quos primum fit donatio ipsa: Deinde in Diplomate ad id scripto declaratur. Postremò per additum diplomati sigillũ Regium communitur & obsignatur.

Ad hunc sanè modum docet Paulus, nostræ cum Christo Domino communionis donationem ipsam, factam esse in Patribus (Dei
Ephe. 1. prouidentia) ante tempora æterna. Declara-
2. Tim. 1. tam autem, in Christi Domini apparitione: per Euangelium ipsius tanquàm per Diploma quoddam. quo sanè nomine, Paulus, Co-
2. Cor. 3. rinthios, (hoc est, suum apud illos ministerium) epistolam suam in Domino scriptam uocat. Postremo uerò eam ipsam communionis donationem (qua omnes alioqui iusti sumus) obsignatam esse docet in Abrahamo & eius familia per Sacramentum circũcisionis ex diuina institutione. Disertè enim, circũcisionem, obsignaculum uocat. nimirum Sacramento illo circumcisionis & Abrahamus ipse, & eius familia tota obsignabatur mandato Dei in iustitia illa, quæ ab æterno in mente Diuina iam constabat, nostra cum Christo Domino futura adhuc communione.

Ea porrò obsignatio designabatur tunc per typicam ac uisibilem eius ipsius communio-

nios

nionis adumbrationem. ipsa inquam præputij amputatio, testabatur esse in nobis aliquid, quod amputari oporteret, si pro iustis haberi deberemus. Et sanguinis ipsa effusio, loquebatur suo modo, satis non esse ad parandam iustitiam, taurorum & aliarum pecudū sanguinem in sacrificijs fundi solitum: sed oportere semel aliquando eiusmodi hostiam mactari, in qua non pecudū amplius, sed nostri ipsorum sanguis, in carne nostrā, ea tamen innocentissima fundendus esset. Ita uidelicet iam tum nostra cum Christo Domino (salutari nostra hostia) cōmunio in corpore & sanguine ipsius adumbrabatur adeoq; & animis piorū omniū obsignabatur: etiamsi Christus Dominus nondū corpus sanguinēq; ullū haberet. nimirū agnus noster occisus est à mūdi origine: & est Christus Dominus, heri, hodiè, & in sæcula: quod quidē attinet, ad delatā nobis (in ipso etiā Adamo) corporis & sāguinis sui salutarē communionem.

Iuxta hanc Pauli doctrinā igitur de circumcisione nobis proditā eum esse præcipuū finem dicimus omnium Sacramentorum. Vt per institutam autore Deo ipso recordationem in signo aliquo uisibili nostræ cum

Christo Domino communionis, fides illius animis piorum in eius Ecclesia penitus infigatur. ipsáq; adeò Ecclesia tota, in perpetua illius fruitione ad uitam usq; æternam duratura, autore spiritu sancto obsignetur. id quod in singulorum adhuc Sacramentorum explicatione plenius ostendetur.

Ab hoc fine autem uelut ab arbore multi fructus proueniunt. non enim cogitandũ est, obsignationem illam nostræ cum CHRISTO Domino communionis, quam in animis nostris (autore spiritu sancto) fieri sentimus in Sacramentorum ministerio, ita frigidam, & otiosam esse: ut non suos fructus aliquos producat, qui nos uerè Christo Domino cõmunicare testẽtur. nos duos præcipuos fructus obsignationis Sacramẽtariæ, ueluti duo mẽbra quædam, ponemus. finemq; omnium Sacramentorum bimembrem quodammodo statuemus: ut intelligamus, spiritum sanctum (qui nunquam inaniter aut ociosè spirat) duo in nobis operari per Sacramentariam suam obsignationem.

Primus fructus seu primum membrũ obsignationis Sacramentariæ, est πληροφορία & quies certæ conscientiæ, in nostra cum

Christo

Christo Domino communione: quæ nos certos reddit, nullam nobis amplius reliquam esse condemnationem posteaquàm Christo Domino coniuncti sumus, per delatam gratuitò corporis & sanguinis sui communionem. Alter fructus, seu alterum membrum Sacramentariæ obsignationis est, mentis nostræ affectuumq; immutatio uel innouatio: Græci ἀνακαίνωσιν seu μετάνοιαν uocant. quam secum ipsa alioqui πληροφορίαν adfert. Qui enim communionis nostræ cũ Christo Domino beneficium in animo suo uerè sentit ac reputat. is proculdubiò intelligit, ad quem modum Christus Dominus ambulauit (ut uerbis Ioannis utar) ad eundem quoq; modum sibi pro sua uirili ambulandũ esse.

Hunc sanè utrunq; Sacramentariæ obsignationis fructum, Paulus nobis in baptismo nostro commonstrat. dum baptizatos, ad stabiliendam nostram πληροφορίαν, Christũ ipsum induisse: atq; unum adeò nos iam omnes in illo hominem esse fatetur. Ac rursus baptismum, renouationis lauacrum esse testatur. Interim tamen renouationẽ à πληροφορίᾳ pendere docet: dum ideò in baptizatorum conuersatione, imaginem mortis,

ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti requiritur: quòd in mortem ipſam, hoc eſt, in mortis Chriſti Domini cõmunionem baptizemur.

Cæterum mentis noſtræ affectuumq; renouatio, per officia declaratur. iuxta cuiuſq; uocationem. tamq; latè patet noſtri renouatio: quàm latè patet noſtra omnium corruptela, & inſtituta rurſum uerbi diuini (in omnium uocationum officijs præſtandis) obedientia. ut intelligamus, alterũ Sacramentariæ obſignationis fructũ ſeu membrum eſſe poſitum, & in frenandis noſtris intra nos affectibus, & in præſtandis item officijs publicè & priuatim, ut cuiuſq; id uocatio requirit.

Vndè perſpicuum eſt etiam, uſum legitimum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ad Sacramentorum miniſterium omninò pertinere: quòd illam finis ille præcipuus omnium Sacramentorum complecti manifeſtè uidetur. Etenim qui ſibi Eccleſiæ gubernationem concreditã habent, ſiuè per uerbi & Sacramentorum, ſiuè per gladij miniſterium: facilè intelligunt, eſſe id debiti officijq; ſui, ut peccandi licentiã (iuxta ſuum utriq; miniſteriũ) coherceant. atq; huius ſui ſe officij commoneſieri ſentiunt procul dubiò: ſiquuidem ſigna

Sas

Sacramentorum, renouationis nostræ signa esse, uerè & ex animo credunt. & qui id secum non reputant circa usum Sacramentorum: adeoq; & nihil huius ad se pertinere arbitrantur: hi equidem communionis nostræ cum CHRISTO mysterium, aut nondum intelligunt: aut si intellectum negligunt, rei proculdubiò fiunt corporis & sanguinis Christi in usu Sacramentorum, tũ quòd mysterium ipsorum non dijudicent, ut debent: tum quòd mysticum Christi corpus (Ecclesiam inquam) incuria negligentiaq; sua dedecorant, dum illud (laxatis omnis disciplinæ habenis) uarijs flagitiorum generibus pollui contaminariq; patiuntur.

Vt igitur finem præcipuum omnium Sacramentorum cum suis membris seu fructibus complectamur: Dicimus hunc esse præcipuũ finem omnium Sacramentorũ. Vt usu illorum legitimo, nostra cum Christo Domino communio piorum animis in Ecclesia ita infigatur, totaq; adeo Ecclesia in perpetua illius fruitione per fidẽ ita obsignetur, ut in illa uerè & ex animo conquiescat, conscientiæ suæ testimonio: Et affectuum illam innouatione, officiorumq; sedulitate exprimat

ac

ac contestetur.

Explicatis uerò iam Sacramentorum partibus, & constituto illorum fine, plenam tãdem Sacramenti diffinitionem (iuxta eam quam approbauimus partium & finis explicationem) formabimus: & quidnam in illa sic obseruandum ordine rursum suo recensebimus: ac denum enumeratis huius generis Sacramentis omnibus, partes in illis omnes commonstrabimus ordinè, nostræ huius diffinitionis.

Sacramentum igitur, est diuina ordinatio, quæ in ministerio Ecclesiæ posita, sic ut [illegible] nostris (autore spiritu sancto) fieri sentimus in Sacramentorum ministerio, ita frigidam, & otiosam esse: ut non suos fructus aliquos producat, qui nos uerè Christo Domino cõmunicare testẽtur. nos duos præcipuos fructus obsignationis Sacramẽtariæ, ueluti duo mẽbra quædam, ponemus. finemq; omnium Sacramentorum bimembrem quodammodo statuemus: ut intelligamus, spiritum sanctum (qui nunquam inaniter aut ociosè spirat) duo in nobis operari per Sacramentariam suam obsignationem.

Primus fructus seu primum membrũ obsignationis Sacramentariæ, est πληροφορία & quies certa conscientiæ, in nostra cum

Christo

Atq; est sanè longa hæc uocis Sacramenti diffinitio: Sed ea, uim, naturam, ac ingenium Sacramentorum, de quibus controuersias exortas esse uidemus, explicari utcunq; non dubitamus. sunt tamen nobis rursum paucis repetenda quæ in hac diffinitione obseruari debebunt. ut ipsa diffinitio tantò clarius in singulis, ordine, Sacramentis commonstrari queat: & cognosci ita demum etiam, ubinam pondus omnium controuersiarum in argumento hoc Sacramentario consistere uideretur. Hæc igitur obseruanda erunt.

Primò, quod in omni diuina ordinatione,

[illegible]

sto Domino beneficium in animo suo uerè sentit ac reputat. is proculdubiò intelligit, ad quem modum Christus Dominus ambulauit (ut uerbis Ioannis utar) ad eundem quoq; modum sibi pro sua uirili ambulandũ esse.

Hunc sanè utrunq; Sacramentariæ obsignationis fructum, Paulus nobis in baptismo nostro commonstrat. dum baptizatos, ad stabiliendam nostram πληροφορίαν, Christũ ipsum induisse: atq; unum adeò nos iam omnes in illo hominem esse fatetur. Ac rursus baptismum, renouationis lauacrum esse testatur. Interim tamen renouationẽ à πληροφορία pendere docet: dum ideò in baptizatorum conuersatione, imaginem mortis,

ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti requiritur: quòd in mortem ipſam, hoc eſt, in mortis Chriſti Domini cõmunionem baptizemur.

Cæterum mentis noſtræ affectuumq; renouatio, per officia declaratur. iuxta cuiuſq; uocationem. tamq; latè patet noſtri renouatio: quàm latè pãtet noſtra omnium corrupta tela, & inſtituta rurſum uerbi diuini (in omnium uocationum officijs præſtandis) obedientia. ut intelligamus, alterũ Sacramentariæ obſignationis fructũ ſeu membrum eſſe poſitum, & in frenandis noſtris intra nos affectibus, & in præſtandis item officijs publicè & priuatim, ut cuiuſq; id uocatio requirit.

Vndè perſpicuum eſt etiam, uſum legitimum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ad Sacramentorum miniſterium omninò pertinere: quòd illam finis ille præcipuus omnium Sacramentorum complecti manifeſtè uidetur. Etenim qui ſibi Eccleſiæ gubernationem concreditã habent, ſiuè per uerbi & Sacramentorum, ſiuè per gladij miniſterium: facilè intelligunt, eſſe id debiti officijq; ſui, ut peccandi licentiã (iuxta ſuum utriq; miniſteriũ) coherceant. atq; huius ſui ſe officij commonefieri ſentiunt procul dubiò: ſiquuidem ſigna

Sas

Sacramentorum, renouationis nostræ signa eße, uerè & ex animo credunt. & qui id secum non reputant circa usum Sacramentorum: adeoq; & nihil huius ad se pertinere arbitrantur: hi equidem communionis nostræ cum CHRISTO mysterium, aut nondum intelligunt: aut si intellectum negligunt, rei proculdubiò fiunt corporis & sanguinis Christi in usu Sacramentorum. tũ quòd mysterium ipsorum non dijudicent, ut debent: tum quòd mysticum Christi corpus (Ecclesiam inquam) incuria negligentiaq; sua dedecorant, dum illud (laxatis omnis disciplinæ habenis) uarijs flagitiorum generibus pollui contaminariq; patiuntur.

Vt igitur finem præcipuum omnium Sacramentorum cum suis membris seu fructibus complectamur: Dicimus hunc eße præcipuũ finem omnium Sacramentorũ. Vt usu illorum legitimo, nostra cum Christo Domino communio piorum animis in Ecclesia ita infigatur, totaq; adeo Ecclesia in perpetua illius fruitione per fidẽ ita obsignetur, ut in illa uerè & ex animo conquiescat, conscientiæ suæ testimonio: Et affectuum illam innouatione, officiorumq; sedulitate exprimat

ac

ac contestetur.

Explicatis uerò iam Sacramentorum partibus, & constituto illorum fine, plenam tãdem Sacramenti diffinitionem (iuxta eam quam approbauimus partium & finis explicationem) formabimus: & quidnam in illa sit obseruandum ordine rursum suo recensebimus: ac demum enumeratis huius generis Sacramentis omnibus, partes in illis omnes commonstrabimus ordinè, nostræ huius diffinitionis.

Sacramentum igitur, est diuina ordinatio, quæ in ministerio Ecclesiæ posita, sic ut ad totam Ecclesiam ordine suo pertineat, habet suum signum uisibile, externam uidelicet (à domino institutam) formam seu ceremoniam: Et suum item inuisibile mysterium, nostræ cum Christo nobis donatæ communionis in corpore & sanguine ipsius. ut fidem illius animis piorum in Christi Ecclesia infigat, totamq; adeò Ecclesiam in fide atq; perpetua illius fruitione ita obsignet: ut uerè & ex animo in ea conquiescat, conscientiæ suæ iam pacificatæ testimonio, & affectuum innouatione illam, officiorumq; sedulitate exprimat & contestetur.

Atq;

Atq; est sanè longa hæc nocis Sacramenti diffinitio: Sed ea, uim, naturam, & ingenium Sacramentorum, de quibus controuersiæ exortæ esse uidemus, explicari utcunq; non dubitamus. sunt tamen nobis rursum paucis repetenda quæ in hac diffinitione obseruari debebunt. ut ipsa diffinitio tandò clarius in singulis, ordine, Sacramentis commonstrari queat: & cognosci ita demum etiam, ubinam pondus omnium controuersiarum in argumento hoc Sacramentario consistere uideatur. Hæc igitur obseruanda erunt.

Primò, quod in omni diuina ordinatione, quæ pro Sacramentis haberi debeat, requiriuntur expressa uerbi diuini testimonia: de signo uisibili Sacramenti: de mysterio ipsius: & de fine. De signo ut non sit fallax: requiritur expressum uerbi diuini mandatum: tum præscripta certa quadã forma & cerimonia ipsius. De mysterio requiritur etiã expressa uerbi diuini promissio: quæ commonstret, signi istiusmodi Sacramentalis mysterium, esse nostram cum Christo domino in corpore & sanguine ipsius communionem. siuè hæc per causas, siuè per effecta, siuè per finem illius designetur. Et requiritur postremò eius,

eiusmodi testimonium, quo doceamur, in hoc esse institutã Dei illã ordinationẽ, quæ pro Sacramẽto haberi debeat: ut usu illius, Christi Ecclesia, in sua cũ ipso cõmunione (ut est explicata) obsignetur. Vbicũq; enim hæc cõstrari in uerbo Dei ita possũt, circa aliquã Dei ordinationẽ: illic iã Sacramẽtũ etiã esse omnino, dubitari amplius nõ potest.

Secundò obseruandũ est: quod sacramentorũ usus ad totã Christi Ecclesiã & omnia mẽbra illius (citra controuersiã) pertineat. præterquàm si aut in sacramẽti institutione ipsa (propter mysterij adũbrationẽ) nõ obscura aliqua exceptionis significatio detur: Aut naturæ adnata alioqui infirmitas: Aut euidẽs præterea etiã necessitas aliqua, nos arceat ab usu ipso sacramentorũ. non enim homo propter sabbatum.

Neq; se hic excusare possũt ullo modo, qui ab usu legitimo sacramentorũ eos arcẽt (dũ haberi potest) quos ad Christi Ecclesiã ptinere, mẽbraq; illius esse nõ ignorãt: præsertĩ si nullã prædictarũ exceptionũ proferre queant. Et pindè faciũt, atq; si diplomati regio, sigillũ illius abripere conarẽtur: quod sanè sine regis ipsius cõtumelia facere non possẽt.

Cũq; fides ipsa ministerij nostri id postulet,

ut

ut ad quos peccatorũ remissionẽ ptinere sci-
mus, eosdẽ etiã delato omnibus remissiõis tes-
timonio ne fraudemus: sanè quos nocali re-
missiõis illius testimonio, Euãgelio nobis (ue
luti diplomate quodam) tradito, sine culpa
fraudare nõ posumus: multo minus procul
dubiò illis diplomatis sigilla, una cum ipso
diplomate posumus denegare: nisi si quæ
prædictarum exceptionũ intercedat.

Qui uerò aut p exceptionẽ aliquã in ipsa
sacramẽti institutione excluduntur, propter
mysterij adũbrationẽ: ut fœmellæ in circũcis
sione. Aut p naturæ infirmitatẽ, signorũ sa-
cramẽtaliũ capaces esse nõ posũt: ut infates,
in agni oli paschalis, & nũc in cœnæ dominis
cæ usu. Aut etiã p euidẽtẽ aliquã necessitatẽ
excusãtur: ut populus oli Israëlis in deserto,
& q nũc morbis afflicti, certui Ecclesiastico
ãtereße nõ posũt. Hi oẽs (ihq̃) pro insignitis
tẽsẽtur in Ecclesia Christi: neq; illis neglec-
tus ullus sacramẽtorũ iputatur ad cõdẽnatis
onem, si illã modo (data prima quaq; legitimi
eorũ usus occasiõe) nõ negligãt aut cõtẽnãt.
Ista porrò, seu exceptionis in ipsa institutiõe,
seu adnatæ naturæ infirmitatis, siue etiã ne-
cessitatis exẽpla, nõ mutãt interi æternã illã

Dei

dei uoluntatem: Deus uult, ut omnes qui ad Ecclesiam quoquomodo pertinent Sacramentis suis utantur, dum legitimè administrantur iuxta ipsius ordinationem: siquidem nulla dictarum exceptionum intercedat.

Tertiò obseruandum est, quod etsi Sacramenta in signis suis uisibilibus diuersa esse uideantur, quemadmodum Augustinus loquitur: tamen cum unum sit atq; idem omnis illa mysterium (ut iam ostensum est) nempè nostra cum Christo domino communio in corpore & sanguine ipsius. Vnus item atq; idem finis omnium: nempè eius ipsius communionis obsignatio per institutam Christi domini (siue futuri in uetere olim Ecclesia, siuè nunc iam exhibiti in nostra Ecclesia) cõmemorationem. Omnia sanè nostri huius generis Sacramenta, tam in uetere, quàm in nostra Ecclesia, unum atq; idem Sacramentum esse censenda sunt: quod quidem attinet ad mysterium & finem ipsorum. Sed quidquid in illis discriminis est aut diuersitatis, id totum est positum in ipsis Sacramentorum signis elementisq; illorum, quæ deus uaria esse uoluit, ut alijs uenturus adhuc Christus dominus, alijs uerò exhibitus iam in nostra Ecclesia

cleſia deſignaretur.

Ita Paulus, utranq; Eccleſiam circumciſam, utranq; item & baptizatam eſſe teſtatur: etiamſi neq; uetus Eccleſia extremum baptiſmi ſignum habuerit, ut eſt à Chriſto Domino inſtitutum, neq; noſtra eadem Eccleſia norit, eam, quæ manibus ſum, euolleſſionem. Et utranq; rurſus Eccleſiam, unum atq; eundem cibum ediſſe: unum item utq; idē poculum bibiſſe docet, nempe Chriſtum: etſi neq; uetus Eccleſia, cœnæ ritum, qualem Chriſtus inſtituit haberet: neq; noſtra Eccleſia Paſcha ceremoniam obſeruet. 1.Cor.10

In myſterio igitur & ſine, nihil eſt omnino diſcriminis, nedū diuerſitatis, in utriuſq; Eccleſiæ Sacramētis. Sed quidquid eſt diſcriminis aut diuerſitatis in Sacramētis: id totū poſitū eſſe oportet, in Sacramētorū ſignis uiſibilibus, eorūq; elementis. quorum alia fuerūt uenturi adhuc, alia uero nunc ſunt exhibiti Chriſti. atq; ea magis illuſtria, magiſq; luculenta, & ſignificantia: propter exortam Euangelij lucem, magis multo ſplendidam, quàm umbræ typicæ fuerunt in ueteri Eccleſia Iſraēlis.

Vndè id facilè etiam intelligi poteſt: om-

nes in causa Sacramentaria controuersias, nõ equidem uersari reuera, aut circa mysterium ipsum, aut circa finem Sacramentorum: cum in utroq; horum non sit discrimen ullum, ut dum ulla diuersitas. Sed si quæ sunt controuersiæ: illas uersari oportere, circa Sacramentorum signa & eorum elementa: quæ uaria & diuersa esse (iuxta externam illorum faciem) uidemus.

De eo enim quod omnes unanimiter, unum atq; idem, denique & æternum esse, nec q; mutari posse profitemur: nullam etiam controuersiam excitari posse, facilè quisq; intelligit. Et cum iam sit demonstratum, unum esse, idemq; ac æternum Sacramentorum omnium mysterium, pariter ac finem: quatenus sanè unus est mediator noster, unumq; & æternum salutis nostræ medium. Perspicuum est, nullam posse haberi controuersiam, de mysterio & fine Sacramentorum: quatenus sanè utraq; hæc, unum idemq; esse semper, neq; uariare ullo modo posse fatemur. Sed omnes controuersias, positas esse, in signorum sacramentalium elementorumq; consideratione.

Et

Et res ipsa loquitur, non esse positam Sacramentariam nostri temporis controuersiam, in mysterij aut finis sacramentorum consideratione: sed in signis potius, aut signorum elementis. dum enim urgetur, siuè transubstantiatio, siuè connexio corporis & sanguinis CHRISTI naturalis cum signis Sacramentalibus, eorumuè elementis. Equidem de signis eorumq; elementis controuersia est, dum unius Sacramenti signis aut elementis id conamur tribuere: quod aliorum Sacramentorum signis atq; elementis tribui non potest. Alioqui si omnium Sacramentorum signa, eorumq; elementa, uno eodemq; loco poneremus: quèadmodum unum esse atq; idem Sacramentorum mysterium, unum item eundemq; finem non dubitamus. Aut sanè in omnium aliorum sacramentorum signis atq; elementis id commonstraremus, quod unius alicuius sacramenti signis aut elementis tribuere conamur: Aut certè uniu alicuius Sacramenti, signis, elementisue non tribueremus: quod in aliorum Sacramentorum signis atq; elementis commonstrari non potest.

Quarè dum in cœnæ dominicæ ſignis eorumue elementis id urgemus, quod in aliorũ Sacramentorum ſignis atq; elementis commonſtrari non poteſt: non equidem de myſterio ſineq; Sacramenti controuerſiam mouemus, ſed de ſigno potius, aut ſigni elementis in cœna.

Atq; in ſtatuenda tranſubſtantiatione in cœnæ elementis, aut in urgẽda reali illa (iuxta ipſam ſpeciem) cum illis connexione corporis & ſanguinis Chriſti naturalis: de cœnæ elementis proculdubio, non autem de eius myſterio aut fine controuerſiam mouemus. dum illis id adſcribimus, quod in nullius alterius Sacramenti elementis monſtrari poteſt.

Rurſum ſi unionem Sacramentalem non quidem in elementis iam, realiq; cum illis myſteriorum connexione, ſed in ſigno ipſo, externo uidelicet miniſtri opere conſtituamus: ut non tàm per elementa ipſa, quàm potius per ipſius miniſtri opus (manibus miniſtri inquam) corpus & ſanguinem Chriſti naturalem nobis una cum elementis cœnæ (miniſterij ſui nomine) porrigi exhiberiq; dicamus: ne ſic quidem adhuc de cœnæ myſterio aut fine controuerſia erit, ſed de ſigno potius, nempè

de ministri opere, dum uidelicet illi in cœnæ Sacramento plus tribuere conamur: quàm in alijs Sacramentis ostendi possit.

Dum igitur in nostra hac circa mysteriũ Sacramentorum obseruatione, dicimus, omnia Sacramenta & ueteris & nostræ Ecclesiæ, esse unum atq; idem Sacramentum: quòd quidem ad mysterium & finem illorum attinet. Simul ostendimus controuersias omnes Sacramentarias, non uersari circa mysterium aut finem Sacramentorum: sed potius circa signa (quæ alioqui uaria esse uidemus) & elementa illorum.

Cumq; uilissima sit pars Sacramentorum, signum, eiusq; elementa: Et de præstantissima eius parte, nempè de mysterio inter omnes conueniat, nempè de nostra cum Christo Domino, æterna, neq; unquàm interrumpenda communione. multoq; magis æquum sit, nos attentos esse ad mysteria ipsa Sacramentorum, ut illis in pace & cum gratiarum actione fruamur: quàm ut de signis illorumue elementis controuersias non necessarias moueamus: non tanti esse faciendas putamus signorum elementorumq; in re Sacramentaria controuersias (modò ne uis ac dignitas mysteri

ęsterij attingatur) ut propter illas sotietas em Ecclesiasticam uiolare quoquomodo debeamus.

Quartò nobis obseruandum est, in hac sacramentorum diffinitione. quod quemadmodum omnium sacramentorum mysterium, olim sanè iam cœpit in primis etiam nostris progenitoribus. postquàm de semine uenturo promißioni credidißent: durat q; etiam nũ sine interruptione ulla, in Ecclesia Christi: Et plenè demum etiam in mortuorum resurrectione, complenda expectatur omnino. ita signa etiam eius ipsius mysterij ab ipsomet Domino instituta, signa sunt procul dubiò rei & præteritæ, quæ dudum alioqui cœpit: & præsentis, quæ etiamnum duret in Christi Ecclesia sine ulla interruptione: & futuræ, quatenus illius complementum ad huc (in nostra resurrectione) sub spe certißima expectamus.

Et proindè fallũtur, qui nuda ociosaq; signa à nobis constitui in Sacramentis putant: propterea quòd Sacramentalem unionem in ulla re ali omninò, uel cum signo, ministri uidelicet opere, uel cum eius elementis con-

nexio-

nexione, agnoscere non possumus. Neq; enim nuda, uulgariaq;, aut ociosa signa in Sacramentis facimus: nedum ut Sacramentorum ministerium, actionem comicis, tragicisue repræsentationibus similem esse dixerimus unquam. Sed semper testati sumus, atq; etiamnum testamur: signa Sacramentorum, esse signa à Deo ipso & CHRISTO Domino ordinata: quibus semper adsit spiritus sanctus, assiduus alioqui testis & glorificator Christi Domini in omni ipsius institutione. efficiatq;, in piorum animis, ut in legitimo Sacramentorum ministerio, motu cordis nostri per ipsum excitati, uerè nos in nostra cum Christo Domino communione iam olim delata obsignari: uerè illa item etiam in præsens frui per fidem sentiamus. atq; ad certissimi complementi illius expectationem propulsa omni diffidentia erigamur.

Diximus semper, & nunc dicimus: adiunctam esse signis sacramentalibus (in legitimo sacramentorum usu) obsignationem nostræ cum CHRISTO Domino communionis. non tantum præteritæ, quasi semel delata, aut iam cessarit, aut interrumpi

in Christi Ecclesia posit: sed præsentis semper, ut illa uerè ad nostrã salutem sẽper etiã, omnium autem significantissimè in usu legitimo Sacramentorum fruamur. illiusq; complementum & illustrationẽ sub spe (ut dictum est) certissima expectemus.

Sed ita esse adiunctam dicimus, & semper diximus, eam obsignationem, signis Sacramẽtorum, hoc est, institutæ à Domino formæ externæ seu ceremoniæ illorum: non ut signis ipsis eorumue elemẽtis realiter quoquo modo includatur ac insit, neq; item per signa ipsa, ministri inquam opus χειροποίητον, signorumue elementa exhibeatur, præbeatur, ac porrigatur (his enim uocibus pleroſq; uti uidemus). Sed ut institutis à Deo signis, uelut inuolucris quibusdam designata, per spiritum sanctum animis simul nostris ita insigatur: ut nos in legitimo Sacramentorum usu, uerè ad salutem nostram obsignari in nostris cordibus sentiamus in nostra cum Christo Domino communione. sentiamus itẽ nos illa uerè frui ad uitam æternam, & eius futuram adhuc illustrationem indubitatò expectemus.

Hæc porrò qui intra sese uerè sentiunt

circa

circa usum Sacramentorũ, facilè intelligunt, nos satis reuerenter & loqui & sentire de usu legitimo & signis Sacramentorum.

Iam uerò obseruatis hisce omnibus in Sacramenti diffinitione: facilè discerni posse putamus genus hoc Sacramentorum, de quo nostram hìc tractationem instituimus. Posse item intelligi, ubi pondus omne controuersiarum in re Sacramentaria consistat: & undè imprimis exortæ esse uidentur. Superest iam ut constituto Sacramentorum genere, ueluti classe quadam, de numero deinceps illorum agamus: ut nostram hanc (ita ut est explicata) diffinitionem, & partes illius omnes, in singulis eius generis Sacramentis, ordine suo commonstrare possimus.

Neq; ignoramus magnam & hic esse interpretum uarietatem, sed nos ea tantũ Sacramenta, in nostrã hanc classem recipimus: in quibus nostra hæc diffinitio, uerbi alioqui diuini autoritate iam comprobata, partesq; illius omnes, ad unum atq; eundem modum commonstrari queat.

Cum igitur à Papa Romano septem Sacramenta numerari audimus: nempè, Baptismum, confirmationem, confessionem, ordinẽ,

coniugium, cœnam Domini, & extremam (quam uocant) unctionem: postulamus, ut in singulis illis, nostra nobis diffinitio, ad unum atq; eundem modum commonstretur. nos in duobus duntaxat, nempè in Baptismo & cœna Domini, commonstrari posse uidemus.

Rursus qui pœnitentiam inter huius generis sacramenta numerare uolunt: commonstrent in illa nobis etiam, nostram diffinitionem, & protinus illis credemus. Sed nos id facere non posse omninò, ingenuè fatemur. præsertim uerò quod ad uisibile illius signum attinet: quod quidem diuina ordinatione in hunc duntaxat usum institutum esset.

Duo nos tantum igitur Sacramenta in Christi Ecclesia eius generis cum Augustino agnoscimus: quemadmodum & in uetere olim Ecclesia duo fuisse legimus, quibus nostra alioqui successerunt, ex CHRISTI Domini institutione. Veteris igitur Ecclesiæ Sacramenta quæ ad nostram classem pertinebant, duo fuisse legimus: nempè circumcisionem, & agni Paschalis cœnam. Nostræ uerò Ecclesiæ, quæ illis successerunt, etiam duo: nempè Baptismum, & cœnam Dominī

mini. de qua alioqui potißimum controuersiæ exortæ eße uidentur. in istis igitur quatuor ſacramentis noſtram diffinitionem (ut eſt explicata) commonſtrabimus: & unumquodq; illorum ordine ſuo explicandũ paucis ſuſcipiemus.

In circumciſione igitur ſingulas diffinitionis noſtræ partes (ordine ſuo) commonſtrabimus cum earum explicatione: ut res tota clarè, & perſpicuè cognoſci poſſit.

Ac primum, circumciſionem, fuiße Dei ipſius ordinationem in uetere Eccleſia, manifeſtè docemur: Geneſis. 17. capite. ſic ut nulla (hac de re) dubitatio reliqua eße poſſit.

Deindè, quòd circumciſio, in Eccleſiæ miniſterio fuerit poſita: uerba ipſa clariſſimè teſtantur: Circumcidetis carnem præputij ueſtri, &c. Quanquàm autem de ritu ipſo circumciſionis, per quoſnam aut quo apparatu peragi conſueuerit, certi nihil extare uidemus: certum eſt tamen, ordinem aliquem in obſeruanda circumciſione obſeruatum fuiße. nam neq; tum ſanè Deus, erat confuſionis DEVS. Extatq; man-

das

datum clarissimum, Abrahæ, & eius semini, hoc est, eius temporis Ecclesiæ datum. Et tu ergo pactum hoc meũ custodies: Tu (inquit) & semen tuum, &c. Quatenus igitur in Ecclesiæ custodia posita erat circumcisionis obseruatio: hactenus quoq; in illius ministerio positam fuisse constat.

Prætereà quòd ita in ministerio Ecclesiæ fuerit posita circumcisio olim, ut ad totam eius temporis Ecclesiam, omniaq; illius membra pertineret: quæ modò mysterium eius non obscurarent: testatur id non obscurè, illa non sanè leuis interminatio. Et præputiatus masculus, in cuius carne præputium non fuerit circumcisum: exterminabitur anima illa è populo suo, &c. Ac mandatum illud uniuersale. Omnis masculus octo dierum circũcidatur in generationibus uestris: siuè uerna, siuè emptitius, &c. fœmellis dũtaxat exceptis.

Gene. 17.

Exceptionis porrò fœmellarum manifestam exceptionem audimus: dum mandatum de circumcisione ad masculos duntaxat expressis uerbis restringi uidemus: & in ea itẽ corporis parte circumcisionem imperari, qua sexus fœmineus omninò caret.

Atq;

Atq; sanè pijs hic omnibus satis esse pro
euidubio deberet, habuisse eam uoluntatis
diuinæ de hac tali fœmellarum exceptione
significationem: diuinæq; uoluntatis (quæ nis
hil temerè agit) testificationem. Sed cum tor
queri uideamus à sectarijs exceptionẽ hanc
fœmellarum in circumcisione, ad fingendas
nouas quasdam in aliorum Sacramentorum
usu exceptiones: rationem quoq; diuini (hæc
in parte) consilij ex scripturis adferemus,
quæ pijs (ut spero) satisfaciet, & in usu alio
rum Sacramentorum per sectarios commons
strari non potest.

Quemadmodum enim nostra omnium cõ
demnatio, neq; originem suam in fœmina Rom. 5.
cœpit: etiamsi illa prior omnino (uel ipso ues
titæ arboris contactu) peccasset: neq; item à
fœmina in nos, sed ab Adamo masculo tota de 1. Cor. 15
riuatur, quemadmodum Paulus docet. Ita
Deus, in instituendo fœderis sui nobiscum
signo simul atq; obsignaculo, utrunq; id nos
bis simul adumbrare uoluit: nempè ab uno
eoq; masculo homine omnem nostram con
demnationem ortam deriuatamq; esse. Et in
uno rursum masculo etiam homine amputari
(suo tempore) oportuisse. ut uidelicet mas
culus

culini sexus solius circumcisio, uisibili signo suo testificaretur (ex Dei ipsius institutione) ac suo quodam modo loqueretur: deriuatam in nos illam ab uno masculo homine omnium nostrum condemnationem, in uno rursum masculo etiam homine ita amputatam iri merito ipsius, qui nostra alioqui caro futurus erat: ut cessatura esset omnis nò in tota ipsius Ecclesia, etiamsi peccatum ipsum in uita hac nostra non prorsus cessaret.

Habemus igitur iustam Diuini consilij (in fœmellis à circumcisione excludendis) rationem, ex ipsis Scripturarum fontibus petitam. neq; exemplum hoc excusarum à circumcisione fœmellarum ad sectarum patrocinium detorqueri posse, in arcendis Ecclesiæ membris à legitimo usu aliorum Sacramentorum: in quibus talis mysterij adumbratio typica commonstrari non potest. imò uerò obscuratur etiã non leuiter, patefactum iam multò clarius per EVANGELIVM omnium Sacramentorũ mysterium, istiusmodi non necessaria membrorum Ecclesiæ exclusione.

Et cum uniuersale mandatum extare uidemus, omnis masculus circumcidatur, siue uerna, siuè emptitius, &c. uidemus item uniuersalem comminationem: In cuius iusçunq; carne præputium non fuerit circumcisum, exterminabitur anima illa, &c. Equidem typicæ illa fœmellarum à circumcisione exclusio non efficit, ut quæ membra nostræ Ecclesiæ esse nouimus, ab usu illa Sacramentorum legitimo arceamus: quatenus sanè typicas istiusmodi umbras luce EVANGELII dispulsas esse iam, & earum obseruatione, mysteria nostrorum Sacramentorum obscurari magis multo hauddubiè, quàm illustrari uidemus.

Ita sane & suspensio illa circumcisionis in deserto per annos quadraginta: non mutauit Diuinam hac in parte uoluntatem, ut usus Sacramentorum legitimus ad omnia Ecclesiæ membra pertineret. Sed rationem illius declarauit: nempè DEVM (etsi contemptum Sacramentorum suorum ferre non posit ullo modo) nolle tamen, ut homo interitum sibi accersat propter eorum obseruationem: dum sine certò

uita

mur

uitæ discrimine obseruari non possunt. Non enim homo propter Sabbatum, sed sabbatum propter hominem. Et est filius hominis, Dominus, etiam ipsius Sabbati.

Manet ergò, Sacramentum circumcisionis ita in Ecclesiæ ministerio olim fuisse positũ, ut ad totã omninò eius temporis Ecclesiam & omnia illius membra pertineret: quatenus nulla aut mysterij in Sacramento obscuratio, aut euidens alioqui necessitas, certumq; exitium aliquod interceßißet. talemq; mysterij in Sacramento obscurationem, talemq; necessitatem commonstrari item oportebit in usu aliorum Sacramentorum, uel omittendo à quibuscunq; tandẽ membris Ecclesiæ, uel suspendendo: siquidem exempla haec trahi debeant ad doctrinam illorum comprobandam, qui ab usu Sacramentorum legitimo eos arcent, quos membra Ecclesiæ esse, negare non possunt.

Iam uerò & de partibus Sacramenti in circumcisione dicendum erit: ut ostendamus, circumcisionem, eiusmodi esse Dei ordinationem, quæ in Ecclesiæ ministerio posita, sic ut ad totam omninò Ecclesiam pertineat: habeat suum signum uisibile, & inuisibile mysterium

rium, quemadmodum in sacramenti diffinitione habetur.

Quod ad signum inprimis circumcisionis attinet: id ita à Mose præscriptum habemus. Circumcidetis (inquit) carnem præputij uestri: quod erit uobis signum fœderis inter me & uos. additurq; & tempus signo peragendo præscriptum, nempè octauus dies. uidemusq; signum hic in circumcisione uocari, non cultrum sanè qui actioni adhibebatur: sed ipsam actionem, quæ cultro adhibito peragebatur, hoc est, ipsam præputij amputationem. ait enim. Circumcidetis carnem præputij. quæ res (nempè eiusmodi amputatio) erit signum, &c.

Signum igitur Deus in sacramento circumcisionis uocat (ut uidemus) non res, quæ instituta à se actioni adhibentur: sed ipsam actionem, hoc est, præputij acciſionem, quæ cultro adhibito fiebat. ut perspicuum sit, cultrum circumcisioni adhiberi solitum, non tam signum fuisse in circumcisione: quàm potius signi ipsius elementum.

Quod uerò ad mysterium circumcisionis attinet: id nobis diserte indicatur, dum circumcisio & fœderis signum simul, & fœdus ipse

ſum uocatur: ut anteà quoq; diximus. indè enim perſpicuum eſt, fœdus ipſum Dei nobiſcum, myſterium eſſe circumciſionis.

Diximus autẽ iam anteà perindè eſſe. ſiue fœdus Dei nobiſcum, ſiue fidei iuſtitiam, ſiue uerò noſtram cum Chriſto Domino cõmunionem, myſterium circumciſionis eſſe dicimus. nam & fœderis diuini nobiſcũ, & iuſtitiæ item fidei nomine μετωνυμικῶς noſtra cum Chriſto Domino cõmunio deſignatur: dum nobis per effecta ſua cõmendatur. ſiquidem Dei nobiſcum fœdus non conſiſtit, niſi in Chriſto. conſiſtere autem in Chriſto non poteſt, niſi & illi nobiſcum, & nobis cum illo, certa quædã communio intercedat. quæ hoc ſanè efficiat, ut quod in Chriſto defertur (nempè fœdus ipſum) id ad nos etiam pertinere omninò poſſit. Dum igitur circumciſione, fœdus ipſum Dei (in Chriſto Domino proculdubiò delatum) ad nos etiam pertinere docemur: ſimul etiam noſtra cum Chriſto Domino communio, circumciſione nobis haudduբiè deſignatur & adumbratur.

Ita uerò etiam, dum circumciſio, iuſtitiæ quæ fide conſtat, ſignum ſimul atq; obſignaculum eſſe dicitur à Paulo. noſtræ ſanè cum

Chriſto

Christo communionis signum atq; obsignaculum esse, eadem quoq; opera docetur. quane doquidem ipsa quæ fide constat iustitia, in ipso equidem Christo Domino ad nos pertineret. Et pertinere ad nos in Christo non posset, si non aliquam cum illo communionẽ haberemus. Quatenus ergo per nostram cum Christo Domino communionem iusti sumus: dum illũ fide agnoscimus, sentimus, & declaramus: Et circumcisio, signum est atq; obsignaculum eius ipsius iustitiæ in Christo: huc tenus sanè circumcisio, signum erat olim atq; obsignaculum, nostræ cum Christo Domino communionis, per quam iusti sumus: inq; istiusmodi iustitia usu Sacramentorum obsignamur.

Perspicuum est igitur, mysterium circumcisionis esse, nostram cum Christo Domino communionem: quæ à suis effectis designatur, dũ fœderis diuini nobiscum signũ adeoq; & fœdus ipsum: dũ itẽ iustitiæ fidei & signum pariter & obsignaculum, circumcisionẽ ipsã esse audimus.

Sed & externa ipsa in circumcisione actio manifestè testatur, ac quodammodo uisibiliter loquitur: adnatã nobis sub præputij inuo-

lucro nostram condemnationem, amputari oportere, ut seruari possimus. & aliter interim amputari non potuisse, nisi per nostri ipsorum sanguinis in carne nostra effusionem, non tamen in nostris ipsorum personis: alioqui nunquàm cessare oportuisset ipsam circumcisionem, sed in persona alterius, qui nostram alioqui carnem & nostrum sanguinẽ fuerat assumpturus: ut uera inter nos & illum, unius eiusdemq; carnis & sanguinis cõmunio constaret, nempè in persona Christi Domini qui corporis & sanguinis sui hostia, omnem nostram condẽnationem in carne nostra, fuerat expiaturus atq; ita à nobis etiam omninò amputaturus.

Quatenus igitur circumcisio, in nostra & non alia ulla carne instituta, nostri etiam & non alterius sanguinis effusione condemnationem nostram amputari oportuisse designabat. quatenus item circumcisio signum alterius rei erat, quam adhuc expectari oportebat: ut non in nostris ipsorum personis eam amputationem perfici oportuisse intelligeremus. Sed in eius persona qui in nostra olim carne adhuc expectandus esset. Hactenus sanè negari non potest, circumcisionis

mystes

mysterium fuiße, Christi Domini nobiscum & nostram cum illo communionem in corpore & sanguine ipsius.

Ita uerò & Paulus in Christo nos Domino omnes sine manuum ministerio circumcisos eße docet. hoc est, in Christo Domino (iuxta typum circumcisionis) amputatum eße re uera præputium, ipsam (inquam) condemnationem orbis totius. Et maßam peccati uniuersam carni nostræ omnium adnatam (quam Paulus corpus peccatorum carnis uocat) uelut spolium quoddam, merito Christi Domini, detractã prorsus corã oculis Patris Dei: qui non amplius nos in nobis, sed Christum iam Dominum potius intuetur: propter suam nobiscum, & nostram secum uicißim communionem.

Ex his igitur clarè iam comprobatum esse putamus, circumcisionis mysterium fuiße olim, nostram cum Christo Domino communionem in corpore & sanguine ipsius. habemusq; iam partes Sacramenti commonstratas in circumcisione: nempè signum & mysterium ipsius iuxta nostram Sacramenti diffinitionem. nunc de fine Sacramentorum omnium in ipsa etiam circumcisione uideamus.

Finem porrò circumcisionis eum esse colligimus tam ex diuina ipsa illius institutione, quã citatis pariter Pauli Apostoli uerbis de ipsa circumcisione: nempè ut per fœderis Diuini, cum Abraha & eius familia in CHRISTO promisso icti, recordationem, perq; iustitiæ in illo fœdere nobis delatæ assiduam reputationem, tota illa Abrahami familia, ipsa (inquam) tota Ecclesia, in fide salutaris suæ cum CHRISTO uenturo adhuc communionis obsignaretur.

EX Diuina circumcisionis institutione, finem hanc ipsius, in uerbis illis commonstrari nobis uidemus. Et firmabo seu constabiliam fœdus meum (inquit Dominus ad Abrahamum) inter me & te, &c. VT SIM TIBI IN DEVM, & semini tuo post te. neq; enim Deus cum hæc proferret, ita se fore Abrahæ Deum profitetur, quasi cum hæc illi diceret, imo uerò priusquam diceret etiam, non iam utis q; Deus ipsius, seminisq; ipsius fuisset. Erat sane iam tum uere Abrahæ Deus, cum illum annis uiginti quattuor fermè antè imperatam circumcisionẽ ex Patria & cognatione ipsius euocasset. Sed ideo ait, VT

SIM

SIM TIBI IN DEVM: *ut ostenderet, ideò se instituisse circumcisionem, ut certum documentum extaret in Abrahæ familia, hoc est, in Ecclesia: Deum, esse hauddubiè & nostrum simul, & seminis nostri Deum. perindeq; esse, dum ait Dominus. Vt sim tibi in Deum: atq; si dixisset, ut & tu, & tuum semen certi omninò esse posßitis, me esse & tuum, & seminis tui Deum. Quod si ideò se Deus ipse semet circumcisionem instituisse docet, ut illius testimonio uetus Ecclesia certa esset, Deum, esse Deum suum in* CHRISTO: *Equidem perspicuum est ex ipsa circumcisionis institutione finem præcipuum circumcisionis fuisse, ut uetus Ecclesia, in sua cum Christo domino cõmunione salutari (per quã solam alioqui deus, reuera noster est deus) obsirmaretur atq; obsignaretur.*

Ex Pauli autem uerbis multò id clarius colligi adhuc potest, qui dũ circumcisionem, obsignaculum esse docet: simul testatur, illam ad obsignandum fœdus Dei nobiscum, in quo, Deus, est uerè Deus noster: iustitiæq; ipsius (quæ est in Christo) institutã esse, queq; extra Christi Domini communionẽ nè

pertinere quidem ad nos potest: nedum ut in animis nostris ad salutem nostram obsignari possit.

Iam & duos illos finis istius fructus seu membra non obscurè nobis, in Scripturis commonstrari uidemus, nempè πληροφορίαν, & ἀνακαίνωσιν, siuè μετάνοιαν.

Primumq; Dei ipsius uerbis in instituenda circumcisione πληροφορίαν nobis commendari uidemus: dum ait, ut sim tibi in Deum. ex his namq; uerbis ideo institutam esse uidemus circumcisionem: ut certi esse possimus: Deum, esse nostrum Deum in Christo. atq; in hoc certa fiducia, & sine ulla dubitatione (pacificata omnino conscientia nostra) conquiescamus.

Deinde & ἀνακαίνωσιν nobis circumcisione commendari adumbrariq; uidemus: ex Propheticis & Apostolicis testimonijs: quibus in circumcisionis consideratione, cordis circumcisio plerisq; locis diligẽter urgetur, quæ equidem in mentis & affectuum innouatione consistit.

Eum igitur finem in circũcisionis Sacramento commonstratum iam habemus, una cum suis fructibus seu membris: quem in

generaii

generali Sacramenti diffinitione posuimus. ut iam totam nostram Sacramenti diffinitionem, in circumcisione minimè obscurè nobis commonstraße uideamur. Et ut tandem diffinitionem circumcisionis peculiarem iuxta traditam hanc doctrinam nostram statuamus, ad hunc modum illam diffiniemus.

Et dicemus, circumcisionem, in uetere Israëlis Ecclesia, fuisse ordinationem Dei, quæ in ministerio Ecclesiæ posita, sic ut ad totam Ecclesiam illam pertineret (quatenus quidem id mysterij sui illustratio permittebat) habebat suum signum uisibile, externam uidelicet præputij accisionem, certis legibus diuinis præscriptam. Et habebat item inuisibile suum mysterium, nostram cum Christo Domino (sub fœderis & iustitiæ fidei nomine) communionem in corpore & sanguine ipsius. ut fidem illius animis piorum in illa Ecclesia ita insigeret: totamq; adeò Ecclesiam in perpetua illius fruitione ita obsignaret: ut uerè & ex animo in ea cognosceret conscientiæ suæ iam pacificatæ testimonio, & affectuum innouatione illam, officiorumq; sedulitate exprimeret ac contestaretur.

Videmus igitur omnes diffinitionis nos

ſtræ partes (ita ut eas explicuimus) in circumciſione iam commonſtratas eſſe. Proinde ad cœnam quoq; agni Paſchalis progredimur, atq; eandē ipſam diffinitionem (iuxta ſignorum ipſius ſignificationem) ad unum eundemq; modum commonſtrare pergemus.

In cœna Paſchali igitur hoc primum habemus. Cœnam illam, fuiſſe olim in uetere Eccleſia Dei ipſius ordinationem: quæ Dei ipſius mandato iuſſa erat obſeruari. Exodi. 12. Habemus item, poſitam fuiſſe in Eccleſiæ miniſterio, ſic ut ad totam omninò temporis illius Eccleſiam pertineret: dum uerba mandati Diuini audimus. Vniuerſus cœtus Iſraëlis FACIET ipſum.

Neq; refert infantes a cœnæ illius uſu excluſos fuiſſe per adnatam illis naturæ infirmitatem: Hanc enim exceptionem iam antea ſcripturarum autoritate approbauimus. Simulq; & aliam illam euidentis alicuius neceſſitatis nimirum Deus, cum ſit naturæ ipſe plaſtes, nihil contra naturæ leges à nobis exigit. conſtituitq; nos ipſius etiam Sabbati dominos: modo ne hoc Dei beneficio, ad alē-

dum

dum institutionũ suarum contemptũ, illasq; uè mutandi tyrannide quoquomodo abutas nur. Sabbatum enim propter hominẽ, nõ homo propter Sabbatum.

Igitur etsi infantes à cœnæ olim Paschalis usu excluderentur, aut qui per morbum illi participare non poterant: non ideo tamẽ cuiquam alteri in toto cœtu Israëlis à cœnæ illius usu abstinere licebat, qui non duabus istis exceptionibus includerentur. Additur enim grauißima comminatio omnibus, qui Pascha (iuxta præscriptũ domini) nõ celebraßent. ut uel inde constet, agni Paschalis Sacramentũ ad totã omninò Israëlis Ecclesiã & omnia mẽbra illius (extra supramemoratas exceptiones) pertinuiße.

Quod porrò ad signum Sacramentale agni Paschalis attinet illud sanè etiam ipsomet Deo autore institutum præscriptumq; ibidem habemus. nempè postium ac superliminaris sanguine agni cruentationem, & constitutũ ita demum à Domino agni ipsius esũ: quod equidem notius est, quam ut multis id uerbis oporteat approbari. Exo.12.

Mysterium uerò Sacramenti in cœna Paschali, paucis quidem uerbis, sed multa in

se

1.Cor.5. se complectentibus describit Paulus Apostolus: dum docet, Pascha, esse Christum. nimirum agnus ille Paschalis, typus erat Christi Domini adhuc uenturi: qui uerus ille agnus tollens peccatum mundi futurus erat: quemadmodu Baptista testatur. & esus agni Paschalis, signum erat communionis illius iam tum etiam populi cum Christo Domino, in corpore ipsius. neq; enim pascere ueterē Ecclesiam agnus ille potuisset, si non aliquam cū ipso in carne eius communionem habuisset. mactando uidelicet suo demum tempore: quemadmodum & agnus ille typicus mactabatur.

Rursum sanguis agni illius typici postibus ædium aut superliminari illitus, siue insperſus: typus erat communioni nostræ cum Christo Domino in sanguine ipsius, per quē omnis nostra condemnatio expianda adhuc erat. Israelitarumq; ædes sanguine insperſæ: designabant, sanguinis Christi meritum, ad populum Dei pertinere: propter donatam ei gratuitò illius communionem. quam dum in ædibus nostris (in cordibus inquam nostris) Pater Deus intuetur, transilit nos in condēnatione mundi totius: neq; supplicium de nobis

bis sumit amplius, propter nostrã cum Christo in sanguine suo communionem.

Videmus igitur cœnæ olim Paschalis mysterium fuisse, nostram cum Christo Domino communionem, in corpore & sanguine ipsius. quæ signo olim Sacramentali, solemnitatis Pesah, ab ipso Deo institutæ, adumbrabatur: nempe agni typici mactatione, esu illius certis ceremonijs instituto, & addita in domibus nota, sanguine ipsius.

Ita Paulus alibi rursum, Mosen in uetere Ecclesia, Paschã, fide edisse docet: fideq; item agni illius typici sanguinem fudisse. hoc est, Mosen in mactando edendoq; agno illo, infundendo item illius sanguine, fide spectasse, & suam ipsius, & populi sui totius cum Christo Domino (uero illo agno Dei) communionem, in corpore & sanguine ipsius.

Perspicuumq; est iam, & circumcisionis olim, & agni item seu cœnæ Paschalis mysterium, unum atq; idem fuisse in uetere Ecclesia: nempè illius tum etiam ueram ac salutarem cum Christo Domino communionem, in corpore & sanguine ipsius. iam uerò nobis finis etiam ille (quem præcipuum in omnibus Sacramentis fecimus) commonstrandus erit,

in

in cœna agni Paschalis.

De fine porrò Paschatis, manifestè docemur in ipsa Paschatis institutione. dum per os Mosis dominus ait. Et erit tibi in signum super manum tuam, & in monumentū inter oculos tuos, &c. quoniam in manu ualida eduxit te dominus ex Ægypto. nimirum his ce uerbis testatur Deus, ideo se Paschα in populo tum suo instituisse: ut esset obsignaculum admirabilis sui illius beneficij, quod propter notam sanguinis agni illius, quem (ritu suo à Deo instituto) edissent, atq; tali illius esu suam cum ipso communionem contestari essent: DOMINVS illos seruasset. seruatosq; ita demum etiam mirabiliter ex Ægypto eduxisset. utq; tanti huius beneficij commemoratione, animos suos obfirmarent: eundem ipsum Deum deinceps quoq; fore proculdubiò ipsorum deum, tantisper dum ritū hunc Paschatis iuxtα ipsius institutionem obseruarent, ad contestandā suam cum uerò illo dei agno cōmunionem in corpore & sanguine ipsius.

Exo. 13.

Ita uidemus, eundem esse omnino finem Paschatis, qui & circumcisionis fuerat: nempè obsignationem ueteris Eccle-

siæ

ſiæ in communione ueri illius agni Dei, quem ſub typo edebant, & ſanguine ipſius uti ædes ſuas notabant, CHRISTI (inquam) domini, in corpore & ſanguine ipſius.

Videmus item fructus ſeu membra finis iſtius nobis non obſcurè in ipſa etiam Paſchatis inſtitutione commendari. Cum enim diuini illius beneficij commemoratio de educto populo dei ex Ægypto in hoc potiſſimum eßet inſtituta, ut uetercm Eccleſiam certam faceret, deum ſore ſemper illius deum. ſimul quoq; id complectebatur, ut uetus Eccleſia obfirmatis fide animis ſuis de Dei erga ſe beneuolentia, omnem ſuam ſpem in illum conijceret, inq; certa beneuolentiæ erga ſe diuinæ fide (tranquillata iam prorſus ſua conſcientia) conquieſceret omnmò.

Rurſus dum accinctis lumbis, cum feſtinatione, & herbis amaris, panibuſq; Azymis Paſcha edere iubentur: de mentis & affectuum ſuorum innouatione omnes commonefiebant in uetere Eccleſia, ne Ægyptiacæ uidelicet illecebræ, quibus iam aßueuerant,

deinde

deinceps illos à susceptо semel in terrã promissam itinere remorarentur. sed reiectis iã delicijs illecebrisq; Ægyptiacis omnibus, prauis (inquam) mundanisq; affectibus, ad promissam sibi patriam summa contentione festinandum esse cogitarent.

Iam igitur in utroq; ueteris Ecclesiæ Sacramento, nempè circumcisione & Paschate, omnes diffinitionis nostræ partes (quas Sacramento tribuimus) commonstratas habemus. priusquàm tamen ad nostræ nunc Ecclesiæ Sacramenta descendamus, Paschatis quoq; diffinitionem, illi soli propriam, ponemus.

Dicimusq;, Pascha olim in uetere Ecclesia, fuisse Dei ordinationem: quæ in Ecclesiæ ministerio posita, ad totam omninò illam Ecclesiam & singula membra illius pertinebat, præterquàm si usum illius aut adnata naturæ infirmitas aut euidens alioqui necessitas impediret. Et habebat signum suum uisibile, ab ipsomet Deo institutum: typicam uidelicet agni immaculati mactationem, esumq; illius iuxta præscriptam ceremoniam, & sanguinis item illius in ædibus omnium notam. Habebatq; præterea inuisibile suum mysteriũ, sub esu agni typici adumbratum, communionem

nem ueteris illius totius Ecclesiæ cũ Christo Domino adhuc uenturo (qui uerus ille Dei agnus erat) in corpore & sanguine ipsius. ut fidem illius animis piorum in illa Ecclesia ita infigeret, totamq; adeò Ecclesiam in perpetua illius fruitione ita obsignaret: ut uere & ex animo in ea conquiesceret, per annuam illius solemnemq; commemorationem, conscientiæ suæ pacificatæ testimonio: Et affectuum innouatione illam officiorumq; sedulitate contestaretur.

Iam uerò approbata nostra (quam Sacramento tribuimus) diffinitione in ueteris Ecclesiæ utroq; Sacramento: restat, ut illam in nostræ quoq; Ecclesiæ Sacramentis (ordine suo) comprobemus. Atq; à Baptismo primum nobis ordiendum erit.

Igitur in baptismo ante omnia uidemus: Baptismum esse diuinam ordinationem, ex ipsius Ioannis Baptistæ (qui illum orsus est) testimonio, dum ait. Qui me ad baptizandũ misit, &c. uidemus itẽ & ex Christi ipsius met Domini Apostolis tradita institutione: Euntes facite mihi discipulos, omnes gentes baptizantes eas, &c.

Esse uerò positum baptismum in Eccle-

ſtæ miniſterio, teſtantur ipſa Chriſti Domini uerba in ipſius inſtitutione: facite diſcipulos, baptizantes: & ita eſſe in miniſterio poſitum, ut ad totam omninò Eccleſiam & omnia illius membra pertineat (præterquam ſi quæ ſupra dictarum exceptionum non permittat) teſtantur uoces illæ uniuerſales apud Euangeliſtas, baptizantes omnes gentes: Prædicate (iuxta Marcum) omnem creaturam, uidelicet humanã ad quam ſolam ipſum alioqui Euangelium pertinebat, teſtatur & Paulus, qui totam Eccleſiam lauacro aquæ à Domino ipſo baptizatam eſſe docet.

Neq; hic ſubſiſtunt Anabaptiſtarum exceptiones, qui infantes noſtros baptizandos non eſſe contendunt, quòd Baptiſmi myſteria ſecum reputare non poſſint: requiritur quidem in uſu Sacramentorum legitimo, digna myſterij reputatio in ijs, qui inter dextram & ſiniſtram diſcernere poſſunt. Sed non ideò efficitur, ut ab uſu Sacramentorum arceantur, qui illorum myſteria per ætatem naturæ infirmitatem reputare non poſſunt: non autem per contemptum reputare non uolunt.

Si ea Dei mens eſſet, ac uoluntas æterna,

ut qui Sacramentorum mysteria, reputare non possunt, à uerbis & Sacramentorum ministerio arcerentur: neq; Christus sanè DOMINVS infantibus in ulnas suas acceptis benedixisset, cum nihil omnino intelligerent, neq; infantes olim iussi fuissent mandato Diuino circumcidi. Mar.10. Gene.17.

Dicunt, mandatu Dei esse in circumcisione de infantibus: in Baptismo non item. At uerò hoc ipso mandato in circumcisione dato, testatur Deus, alienum id à sua mente ac uoluntate æterna esse, ut infantes propterea ab usu Sacramentorum arceantur, quòd illorum mysteria secum reputare non possint.

Dum igitur & CHRISTVS, prolata sua ad infantes benedictione, quam illi intelligere non poterant: & Deus Pater olim mandato suo de infantibus circa circumcisionem manifestè testentur: & uerbi & Sacramentorum ministerium ad infantes etiam (licet nihil horum intelligant) pertinere: præter mentem ac uoluntatem DEI faciunt, qui infantes in Ecclesia arcent à legitimo Sacramentorum usu, propterea

quòd eorum mysteria secum dignè reputare non possint.

Proferũt & illud: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. atq; indè colligũt, eos qui non credunt, non esse etiã baptizandos. Et cum infantes non credant, ac ne possint quidem credere: non igitur etiam baptizandos esse. seruari illos tamen etiam, sine baptismo: propter latam in fœdere promissionem. quemadmodum fœmellæ olim in uetere Ecclesia seruabantur, etiam si non circumciderentur. putantq; inuictã plane esse hanc suam ratiotinationem.

At uerò secum ipsimet pugnant in sua inuicta ista (ut putant) argumentatione: si adiunctum à Christo Domino eodem ipso loco uerborum, quæ pro se rapiunt, Antithetõ coniungant: nempè, qui non crediderit, condẽnabitur. dum infantes non credere, & nihilominus seruari docent. contra adiunctum per Christum Dominum Antitheton illud, de condemnandis omnibus, qui non credunt.

Quod si Antitheton illud ad contemptores duntaxat referant: ut eos tantum condẽnari intelligamus, qui cũ possint, credere tamen non uolunt? Sanè fateri cogentur etiam,

aliud

aliud non poße colligi ex prioribus illis Christi uerbis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. quàm ut quemadmodum bi demum baptizandi sunt, qui credere uolunt cũ poßunt: ita etiam eos duntaxat à baptiſmo arceẽdos eße, qui cũ credere poßint, id tamen nolunt facere. non autem eos, qui per naturæ infirmitatẽ credere (etiamſi maximè uelint) non poßunt. Et proindè intelligent ſe etiam ineptè ex eo loco colligere, infantes noſtros baptizandos non eße, propterea quòd credere non poßunt: niſi ſi illos à uita quoq; æterna prorſus (eandẽ ob cauſam) excludant.

De fœmellis excluſis à circũciſione ſupra diximus. Diuiniq; hac in parte cõſilij rationẽ attulimus ex ſcripturis: quã Anabaptiſtæ ad erroris ſui patrocinium detorquere non poſſunt. In noſtræ enim Eccleſiæ Sacramentis, non eſt amplius, aut mas, aut fœmina, aut adultus, aut infans: ſed omnes unus homo ſumus in Chriſto. Et eſt in omnibus omnia Chriſtus, ſine ullo omninó diſcrimine (quod ad ius quidem & uſum Sacramentorum attinet) aut ſexus aut ætatis: ſiquidem nulla earũ (quas iam antè expoſuimus) exceptio intercedat. Quarum cum nulla omninò in arcem

dis à baptismo Ecclesiæ infãtibus cõmonstrari queat: dubium non est, grauiter ab illis hac in parte peccari aduersus Christi Domini de baptismi Sacramento ordinationem.

Nec obstant quæ producũt baptismi adultorũ exempla. Nemo enim unquàm dãnauit adultorum baptismum, si in adulta iam ætate sese Ecclesiæ adiũgebãt. Sed non ideò efficitur baptismum, ad infantes Ecclesiæ non pertinere, quod plurimi olim adulti baptizarentur, Quemadmodum & nunc nihil obstat, quominus adulti quoq; baptizentur, qui in adulta ætate à Iudaismo aut Ethnicismo ad Ecclesiã ueniunt: etiãsi nos infãtes nostros recepto more publico baptizemus.

Quin & hoc docemus, pertinere id ad debitũ atq; officiũ ministrorũ in Ecclesia Christi: ut oẽs baptizẽt, ad quoscũq; peccatorũ remissionẽ in Euangelio reuelatã per meritũ mortis Christi pertinere sciunt. siuè sint adulti, siuè infantes, siuè mares, siuè fœminæ, siuè barbari, siuè græci, siquidẽ cõcredito sibi Ecclesiæ ministerio, fideliter fungi uolũt. Et quemadmodum Petrus Apostolus negare se non posse affirmat aquæ baptismum ijs, quos Spiritus sanctus de cœlo suo ad Christũ

iam

iam Dominum pertinere testabatur: ita & negari baptismum infantibus Ecclesiæ non posse dicimus à ministris fidelibus in Ecclesia Christi: quos certam alioqui cum Christo Domino communionẽ habere scimus, in corpore & sanguine ipsius.

Habemus igitur & in baptismi sacramẽto, baptismum esse ordinationem Dei, positã in ministerio Ecclesiæ: sic ut ad totam omnino Christi Ecclesiam omniaq; membra illius pertineat: quatenus nulla iam pluries dictarũ exceptionum intercedat.

Iam quòd ad signum in baptismo attinet: id nobis à Ioanne Baptista comprobatum habemus. nempè ordinatam Diuinitus aquæ tinctionẽ siuè ablutionem. Ait enim disertè, se à Deo missum esse, ut aqua tingeret, siuè lauaret: seu (ut uoce Græca utamur) baptizaret. Postea uerò Christus Dominus iussit, ut tingamur, aut lauemur aqua, in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ita uerò & ab Apostolis factum esse legimus. sic ut & ex Baptistæ testimonio atq; exemplo: & ex CHRISTI Domini institutione: deniq; & ex APOSTOLICA obseruatione clarissimè constet Io. 1. Mat. ult.

ſignum à Deo ipſo ordinatum, eſſe tinctionem in aqua ſeu ablutionē, à qua & baptiſmus uocatur: & quidem in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

Myſterium uerò baptiſmi nobis indicat ipſemet Chriſtus Dominus: dū nos in nomen Patris, & filij, & ſpiritus ſancti baptizari iubet: ſiquidem uerba hæc iuxta Pauli interpretationem accipiamus, nempè noſtram cū patre, & filio, & ſpiritu ſancto (per ſe) cōmunionem. Et promdè noſtram quoq; ſecum communionem. Quo modo enim communionem cum Deo patre, filio, & ſpiritu ſancto (& quidem per Chriſtum dominum) habere poſſemus: ſi non prius cum ipſomet Chriſto domino aliquam communionem haberemus?

Porrò ut ex Paulo conſtet, perindè eſſe, ſiuè nos in nomen dei patris, & filij, & ſpiritus ſancti: ſiuè in communionem patris, & filij, & ſpiritus ſancti baptizari dicamus. Primum dum legimus, multos, ab ipſis etiam Apoſtolis, in nomen domini Ieſu duntaxat baptizatos eſſe: non dubitamus ſanè, eos, qui ita ſunt baptizati, rectè ac legitimè baptizatos fuiſſe. Nemo enim ad dominum Ieſum

uerè

uerè, pertinere potest, quin & ad deum simul patrem: & filium, & spiritum sanctum omnino etiam pertineat. Et proinde ne baptizari quidem etiam uerè potest quisquam, in nomen domini Iesu: quin simul etiã in nomen patris & filij & spiritus sancti baptizetur. cum præsertim de certorum in baptismo uerborum pronunciatione (ita ut uariari non possint) nullum planè usquàm mandatũ in scripturis extare uideamus.

Si uerò legitimè baptizati sunt, qui in nomen Domini Iesu duntaxat sunt baptizati. Equidem ad quem modũ Paulus exponit nos in nomen Domini Iesu baptizari: ad eundẽ quoq; modum & nos uerba illa intelligere debemus, dũ nos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti baptizari audimus.

Iam cũ Paulus dicat, eos, qui in nomẽ Dominí Iesu baptizati sunt, in ipsummet Dominũ Iesum Christum baptizatos esse. Et rursũ qui in Christũ Iesum baptizati sunt: in mortem ipsius baptizatos esse. Ad extremum uerò, in mortem CHRISTI baptizatos esse, perindè esse exponat, atq; in cõmunionem mortis Christi baptizatos esse. Et nobis sanè perindè esse debet, siue nos in nomen Rom. 6.

Christi Domini, siue in Christum ipsum siue in communionem, eorum, quæ sunt Christi (mortis inquam ac resurrectionis suæ) baptizari dicamus.

Et si iuxta hanc Pauli doctrinam, idem est, in nomen Domini Iesu nos, aut in ipsummet Dominum Iesum: siue in communionem eorum, quæ sunt ipsius, baptizatos esse. equidem & nobis perindè esse debebit: siue nos in nomen Patris, & filij, & spiritus sancti: siue in ipsummet Deum Patrem, & filium, & spiritum sanctum: seu in communionem eorum, quæ sunt Patris, & filij, & spiritus sancti, baptizari dicamus.

Ac rursum, si idem est, in nomen nos Patris, & filij, & spiritus sancti: aut in communionem eorum, quæ sunt Patris, filij, & spiritus sancti, baptizatos esse. Perspicuum est, baptismi mysterium esse, nostram cum Deo Patre, filio, & spiritu sancto communionem.

Et cum hæc haberi non possit, nisi per Christum: per Christum uerò haberi rursus non possit, nisi cum illo etiam communionem aliquam peculiarem habeamus, extra Diuinam naturam ipsius: quatenus uidelicet filius

deus

Deus, homo quoq; est. Sanè quatenus in communionem nostram, cum Deo Patre, & filio, & spiritu sancto baptizamur: simul etiam baptizamur proculdubiò, in communionem cum Deo filio, quatenus nos ille ad eam ipsam cum Patre suo & spiritu sancto, cõmunionẽ deduxit.

Deduxit autem per propitiatoriã corporis sui sacrosancti hostiã, & sãguinis sui pretiũ in carne nostra: sic enim oportebat, misso in carnẽ nostrã Dei filio, carnis nostræ peccatũ, per peccatũ expiari, ut æternæ Patris dei iustitiæ satisfieret, Rom. 8.

Dum igitur in cõmunionẽ cum deo filio baptizamur, quatenus ille nos demũ ad nostrã cũ deo patre suo & spiritu sancto cõmunionẽ perduxit. Atq; ille ad eã nos communionẽ perduxit corporis sui oblatione, sanguisq; sui pretio per mortẽ suã. Perspicuũ est, nos, dũ baptizamur in nomẽ patris & filij & spiritus sancti: simul quoq; baptizari in communionẽ corporis & sãguinis, ipsiusq; adeò oblationis propitiatoriæ & mortis Christi: p quã alioqui solã, ad eã cõmunionem cũ deo patre, filio, & spiritu sancto deducti sumus.

Et in baptismo igitur sacramẽti mysteriũ

esse

esse uidemus, nostram cum Christo Domino communionẽ in corpore & sanguine ipsius: quatenus (iuxta Pauli doctrinã) in mortem Christi baptizamur, dũ in nomen Dei patris, & filij, & spiritus sancti baptizamur. nisi quòd Christus Dominus in ipsa baptismi institutione, nostrã secũ in corpore & sãguine suo communionẽ, à fine ipso nobis uoluit designari, ut nobis sui beneficij in nostra secũ communione magnitudinem ob oculos poneret, & cõmendaret. finis enim nostræ cum Christo Domino cõmunionis in corpore & sanguine ipsius est, ut per eam ad illorũ tandem omnium communionẽ perueniamus, quæ sunt alioqui Dei patris, & filij, & spiritus sancti.

A fine igitur ipso, nostra nobis cũ Christo Domino communio in corpore & sanguine suo designatur, per baptismi symbolum: dum aut in mortem Christi nos, aut in communionem, seu nomen Patris, filij, & spiritus sãcti baptizari audimus. iuxta ipsiusmet Christi domini institutionem.

Habemusq; iam commonstratas Sacramẽti partes in baptismo iuxta nostram diffinitionem. nempè signũ uisibile: externam uidelicet

cet

ert baptismi formã seu ceremoniã: ipsam (inquam) aquæ tinctionẽ, seu ablutionẽ. Ac rursus inuisibile mysteriũ, quod signo hoc designabatur: nostram uidelicet cum Christo domino cõmunionem, à fine suo nobis adumbratam, per nostram cũ Deo patre, filio, & spiritu sancto communionem, dũ in nomen Dei Patris, filij, & spiritus sancti baptizamur. Ego quidẽ etiam respexisse uidetur Paulus dũ nos in unum corpus omnes baptizari docet. neq; enim in unũ inuicẽ corpus sub Christo domino baptizari possumus: quin simul etiam nostram omnium cum Christo in eodem ipso corpore communionẽ nostro baptismo attestemur: adeoq; & in corpus ipsius baptizemur. itaq; iam ad finem Sacramentorũ in baptismo etiã commonstrandum progrediamur: ut hic quoq; nostram diffinitionẽ omni ex parte approbemus. 1. Cor. 12.

Finem porrò baptismi nobis indicat Petrus Apostolus: dũ baptismum ἐπερώτημα esse docet bonæ conscientiæ erga deũ. Etenim Baptismus noster frustra uocaretur ἐπερώτημα bonæ nostræ erga deũ cõscientiæ: si nõ in hoc esset institutus, ut animos nostros in conscientiæ certaminibus trãquillaret, fidu- 1. Pet. 3.

ciaq;

eiuſq; noſtræ cum Chriſto communionis. (ad uerſus mortem, Satanam, ac infernum) communiret. Et ſi in hoc eſt inſtitutus baptiſmus ut noſtras animos in conſcientiæ certaminibus (fiducia communionis noſtræ cum Chriſto) communiret: perſpicuum eſt, finem baptiſmi hunc eſſe ut animos piorum in Eccleſia obſignet in noſtra cum Chriſto Domino communione. tũ demum enim re uera erit ἐπερώτημα bonæ conſcientiæ erga deum: quẽadmodum Petrus docet.

Act. 2. Sed & alibi hoc ipſum confirmat idẽ Petrus: dũ eos, qui uerã pœnitentiã, cordis maximi eſtu cõpunctione, iã declarauerãt: & proinde remiſſionem quoq; peccatorum procul dubio (quod ad deum attinet) habebant: baptizari alioqui iubet in peccatorum remiſſionem. nimirũ & ibi finem baptiſmi eſſe oſtendit, obſignationem noſtri in communione noſtra cum Chriſto: quæ per fructũ ſuum, peccatorum uidelicet remiſſionem deſignatur. neq; enim extra Chriſtũ ulla eſt omnino remiſſio peccatorum.

Ac rurſum ubi Cornelium & eius familiam baptizari uult: iam poſt acceptum ſpiritũ

rum sanctũ, approbatáq; bona Cornelij opera: eundem sanè baptismi finem nobis cõmonstrat, uimirum baptizari adhuc oportuisse Cornelium & eius familiam, ut ecclesiæ domũ illud, uisibili etiam signo a Christo domino instituto in ijs qui baptizabantur obsignaretur: non ad illorum tantum, sed ad totius etiã Christi Ecclesiæ, in fide erga Christum confirmationem.

Et finem igitur eundem in baptismo commonstratum habemus, quem in utroq; ueteris Ecclesiæ Sacramento commonstrauimus: iuxta nostram diffinitionem. iam de duobus illis, huius finis fructibus seu membris uideamus, uempè de πληροφορίᾳ & renouatione mentis affectuumq; nostrorum.

De πληροφορίᾳ circa baptismum docet Paulus: dum eos qui sunt baptizati, CHRISTVM induisse testatur. loquitur enim ille Paulus de induitione CHRISTI, non legali illa, qua Christi domini exemplum in nostra conuersatione per imitationem exprimere conamur: sed de induitione Euangelica, quemadmodum id quoq; Lutherus, uerè, piè, & eruditè adnotauit, qua uidelicet Chris

Christi domini sanctitate, iustitia, innocentia, ac meritis omnibus ita contegimur: ut omnes unus atq; idem homo cũ illo esse censeamur in Patris sui cœlestis iudicio. neq; quidquam in nobis amplius superstit ueteris nostræ condemnationis: nisi si Christum quoq; dominum (qui unus iam atq; idem nobiscum homo esse censetur baptismi nostri testimonio) condemnandũ simul nobiscum esse dicamus. Dum igitur Paulus, baptismum, testimonium esse docet huius talis Christi domini induitionis, qua omnes unus atq; idem homo cũ Christo sumus: simul quoq; docet, ita nobis conquiescendũ esse (pacificatis omnibus conscientiæ certaminibus) in ea (quæ nobis baptismo designatur) Christi domini induitione, hoc est, nostra cum ipso communione, dũ baptismum nostrum intuemur: ut nos tam nõ posse amplius cõdemnari statuamus propter uestem nostram, quam (baptismi testimonio) induimus, nempe Christum: quàm ipse Christus dominus condemnari amplius nõ potest. ita demũ enim baptismus noster (quoties cũq; illum administrari uidemus) erit uere (iuxta Petri doctrinam) ἐπερώτημα bonæ, trãquillæq;, ac prorsus pacificatæ conscientiæ

nostræ

nostræ erga DEVM: fiducia uestis nostræ illius quam induimus, nostræ inquam cum Christo domino communionis in corpore & sanguine ipsius.

De mentis uero atque affectuum renouatione circa baptismi considerationem docemur ab eodem ipso Paulo: dum baptismum, renouationis, spiritus sancti lauacrum esse, docet. sed omnium significantissimè, dum sumpto argumẽto à nostræ cum Christo cõmunionis in baptismo testimonio (quatenus sanè in communionem mortis, sepulturæ ac resurrectionis Christi baptizamur) baptismo nostro nos admoneri testatur, ut si in cõmunionem mortis, sepulturæ, ac resurrectionis Christi nos baptizatos esse credimus: simul etiam illi, in nostris affectibus, per omnem uitam nostram commoriendum, affectusq; nostros consepeliendos esse: ac demum etiam cum illo nobis simul etiam ad uitæ nouitatem resurgendum intelligamus. Vndè demũ facilè apparet, sub Sacramentali illa in baptismo obsignatione nostræ cũ Christo Domino communionis, utrũq; hunc illius fructum comprehendi: nẽpè & πληροφορίαν: & mentis nostræ, affectuumq; nostro-

rum renouationem.

Commonstrauimus igitur & in baptismo iam partes omnes nostræ diffinitionis: quam omnibus in genere Sacramentis dedimus. nunc peculiarem Baptismi etiam diffinitionem quæ priori illi respondeat addemus.

Dicimus ergo Baptismum, esse Diuinam ordinationem, quæ in Ecclesiæ ministerio posita, sic ut ad totam omninò Christi Ecclesiam omniq; membra illius ordinariè pertineat: habeat signum suum uisibile, externam uidelicet à Domino institutam, formam seu ceremoniam: nempe externam in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, seu in nomen Domini Iesu Christi, aquæ tinctionem, siuè ablutionem. Et habeat item suum inuisibile mysterium. nempè nostram cum Christo domino in corpore & sanguine ipsius communionem: nomine illo Patris, & Filij, & Spiritus sancti, seu nomine Domini Iesu in Baptismo adumbratam. Vt fidem illius animis piorũ in Christi Ecclesia ita infigat, totamq; adeò Ecclesiam in perpetua illius fruitione ita obsignet: ut in illa uerè & ex animo conquiescat, pacificatæ iam conscientiæ testimonio, & affectuum innouatione eam, officiis

ficiorumq; sedulitate exprimat, ac contestetur.

Putamus autem nos, clarè satis ac perspicuè: hanc ipsam diffinitionem, in Baptismi Sacramento iam commonstrasse, & comprobasse. itaq; ad alterum nostræ Ecclesiæ Sacramentum, nempè ad cœnam Domini iam tandem progrediemur: atq; ad eundem ipsum modum commonstrabimus in cœna DOMINI (per Dei gratiam) nostram illam Sacramenti diffinitionem cũ omnibus partibus illius.

De cœna uerò Dominica prolixius nos aliquantò agere oportebit: propter exortas circa illam controuersias, quæ Ecclesiam hactenus uehementer (ut uidemus) perturbarunt. dabimus tamen operam omnem, ut omnia à nobis clarè & perspicuè dicantur.

Ac primum cœnam Domini, esse diuinam ordinationem, ab ipsomet Christo Domino institutam: testantur Euãgelistæ tres, in passionis dominicæ historia. testatur & Paulus Apostolus dum illius usum Corinthijs præscribit & commendat.

Esse autẽ positum cœnæ dominicæ Sacramentũ in Ecclesiæ ministerio: uerba ipsa mãdati

dati dominici in ipsa institutione testantur (HOC FACITE) in opere enim cōstituitur, quod fieri debet: & proindè in ministerio quoq; ut sint qui illud peragant.

Ita uerò in ministerio Ecclesiæ positum esse, cœnæ dominicæ Sacramentum, ut ad totam omninò Christi Ecclesiam pertineat: idē hoc ipsum mandatum (HOC FACITE) nobis non obscurè testatur. Etenim non temerè Christus Dominus, cœnæ suæ suos duntaxat Apostolos adhibuit: omissis alijs omnibus, qui ad munus Apostolicum (etiamsi discipuli essent) uocati nihilominus non erant. nimirū ut in solis Apostolis (qui soli etiam omnis sanæ doctrinæ fundamentum in uniuersa Christi Ecclesia constituere debebant) uniuersam nobis suam Ecclesiam adumbraret. Et quemadmodum doctrinam omnem Apostolis ipsis potissimum traditam, ad totam interim suam Ecclesiam uult pertinere, sub Apostolorum nomine: ita etiam ad totam suam Ecclesiam cœnæ usū (ut Apostolis præscriptus est) sub ipsorum etiam nomine pertinere uelit.

Ita uerò mox à cœna etiam, dū pro Apostolis orat, sub illorum nomine totam cōplectitur Ecclesiam. id quod addita mox ueluti

cor-

correctione quadam, apertè declarat, dū ait: Non pro illis tantum oro, &c. Quasi diceret. Dum pro Apostolis meis oro, in eadem mea oratione omnes etiā cōplector: quicunq; per illos in me crediderint.

Ita & hic igitur, dū Apostolos suos ad extremam suam cū illis cœnam in hoc collegisset, ut extremum quendam (in uita hic sua) doctrinæ omnis suæ colophonem adderet: eāq; noua sua institutione uelut ob oculos poneret. in uerbis sanè illis, quæ ad Apostolos profert, non Apostolos tantum, sed & eos omnes complectitur: qui in eandem cū Apostolis societatem per doctrinam ipsorum uēturi erant.

Ad hunc sanè modū & Paulus uerba hæc Christi Domini intelligit: dum cœnæ usum & sibi quoq; (sub nomine Apostolorum) à Domino traditum esse, & se ut à Domino accepisset toti rursus Corinthiorum Ecclesiæ tradidisse testatur. Quo pacto enim & Paulus à Domino accepisset, qui cœnæ Dominicæ institutioni non adfuit? Et eum ipsū cœnæ usū Corinthijs tradidisset: si sub Apostolorum nomine in cœnæ institutione, & se ipsum, & totam Christi Ecclesiam compre-

benſam eſſe non putaßet?

Iuxta hanc igitur Pauli doctrinam atq; exemplum, uidemus mandatum illud Dominicũ in cœnæ inſtitutione (HOC FACITE) non tantum in ſe complecti Apoſtolos ipſos, ad quos prolatum eſt: ſed & eos omnes, qui per doctrinam ipſorum, in Chriſtum Dominum crediturí erant, quod ad uſum cœnæ attinet. Et proindè uſum cœnæ dominicæ, ita etiam in Eccleſiæ miniſterio poſitum eſſe: ut ad totam omninò Eccleſiam, omniaq; membra illius pertineat: ſiquidẽ nulla earum exceptionũ (de quibus anteà pluries iam diximus) intercedat.

Veniunt autem ſub eas exceptiones infantes, quod ad cœnæ Dominicæ uſum attinet: propterea quòd adnata naturæ ipſorum infirmitas ſigni cœnæ illos capaces eſſe nõ ſinat: quemadmodum & à cœnæ Paſchalis uſu olim liberi erant.

Veniunt & ualetudinarij homines: quibus per morbi magnitudinem publico Eccleſiæ cœtui adeſſe, & proinde cœnæ quoq; Dominicæ in cœtu Eccleſiæ participare non licet.

Venia

Veniunt postremò, & qui infantiam quidem superegressi, probare sese interim adhuc per naturæ infirmitatem non possunt. cum mandatum apertum extet. Quisq; se probet. tametsi in uetere Ecclesia, pueros infantiam superegressos, ad cœnæ Dominicæ usum admitti solitos legimus. Et haud scio, an non ad adultos tantum mandatum illud APOSTOLICVM, (Quisq; se probet) ita pertineat: ut pueros interim ab usu cœnæ non excludat. Quemadmodum & infantes à Baptismo (propter mandatum illud, ad eos, qui baptizantur datum) non excluduntur. Ita & uos, reputate uos ipsos mortuos esse peccato: Baptismi uidelicet testimonio. Et in circumcisione, licet in adultis circumcisio carnis sola, sine mysteriorum illius reputatione, nihil esset, quemadmodum Paulus docet: non ideò tamen in infantibus Israëlis circumcisio carnis ipsa nihil erat. Sed erat signum fœderis: Deum, esse illorum DEVM. Atq; in cœna item Paschali, pueros ab usu illius exclusos fuisse non legimus: etiamsi mysteria

I. Cor. 11

Rom. 6.

Rom. 3

illius dignè secum reputare non possent. Vt mandata illa de mysteriorũ reputatione circa usum omnium Sacramentorum tradita, ad adultos tantum pertinere intelligamus. Sed ita pertinere interim, ut eos tantum ab usu Sacramentorum excludant, qui illa (per incuriam aut contemptum) reputare cum possint, non uolunt. non autem pueros, qui etiãsi uelint, reputare ea secum, per naturæ infirmitatem, non possunt. Hic tamen nihil priuata cuiusquam autoritate nouari uelim: Sed occasionem dare uolui cogitandi ea de re, ijs, ad quos cura & gubernatio Ecclesiarũ propius pertinere uidetur. Etenim si Petrus Apostolus sui esse officij putauit, non arcere ab aquæ baptismo etiam ethnicos, quos modo ad Christum pertinere iam spiritus sancti testimonio uidebat: cogitare poterunt etiam, qui Petri officio in Christi Ecclesia funguntur, suarum partium esse, ut eos à signo communionis corporis & sãguinis Christi ne arceant, quos ad eam communionẽ pertinere, uiuaq; adeò membra corporis Christi, & signorum præterea Sacramentalium capaces esse sciunt.

Et pueri quidem (dum non admittuntur)

extra

extra culpã sunt uiolati mandati illius (HOC FACITE). Sed si hic ulla culpa est: ea sanè in ijs tota hæret, qui pueros, cum sint membra corporis Christi, ad obsignandã interim (per cœnæ usum) eam ipsam cum Christo in corpore suo communionem non admittunt. Ita uero & illi extra omnem culpam sunt, qui propter Pharisaicam Antichristianamuè Papæ Romani, eiusq; simiarum tyrannidem ab usu Sacramentorum abstinere malunt potius, quàm ut ea cum illis quoquomodo profanent. Sed culpa omnis in illos redundat: qui puritatem Sacramentorũ in Christi Domini contumeliam suis traditionibus impurarunt: Et ut ad suæ impuritatis sotietatem omnes secum pertrahere possint: legitimum Sacramentorum usum (ut à Christo institutum, & ab Apostolis obseruatum esse legimus) non tantum ferre nolunt, sed etiam capitalem haberi uolunt. quod equidem ad eorum consolationem adijcere uolui, qui inter illos uersantur, apud quos legitimum Sacramentorũ usum habere non possunt. maluntq; abstinere omninò à Sacramentis (dum aliud non possunt) quàm illa simul cum alijs profanare.

Habemus igitur in cœnæ Dominicæ con-

ſideratione: Cœnam domini eſſe Dei ordinationem in Eccleſiæ ſuæ miniſterio ita poſitam, ut ad omnia illius membra omninò pertineat: quæcunq; prædictis exceptionibus non includuntur. tametſi de puerorum (infantiam ſuperegreſſorum) exceptione accuratius cogitari uelim.

Iam quod ad ſignum cœnæ dominicæ attinet: ipſa Euangeliſtarum & Pauli narratio ſignum nobis cœnæ indicat: ſi cum mandato illo (HOC FACITE) coniungatur: nimirum Chriſtus Dominus, mandato hoc ſuo, non aliud iußit agi in cœnæ ſuæ adminiſtratione: quàm quod ipſemet egißet, in illius inſtitutione.

Sunt autem qui inſtitutionem cœnæ dominicæ auſpicentur ab ipſa agni Paſchalis cœna. Sunt alij, qui illam auſpicentur à pedum lotione, poſteaquàm Cœna legalis peracta eſſet. Et proindè cœnæ Dominicæ, & dapes alias adhibere: & pedum etiam circa illam lotionem, tanquàm ſignum ad cœnam pertinens obſeruari uolunt. Sed nos collata Euangeliſtarum narratione uidemus: tres illic CHRISTI Domini diuerſas inter ſeſe actiones. Primam

nam Agni Paschalis cœnam. Alteram, pedum Apostolicorum lotionem. ad hanc enim à mensa Dominum surrexisse Ioannes testatur. Tertiam, cœnæ suæ (nouæ inquã Testamenti) institutionem. ad quam lotionem pedibus Apostolicis, resumptisq; rursum uestibus Dominum progressum esse, denuoq; mensæ accubuisse uidemus. In hoc igitur altero ad mensam accubitu, non autem antè, cœnam à Domino institutã esse uidemus: neq; agni Paschalis cœna, neq; item pedũ illa lotio, ad cœnæ dominicæ signum referri quos quomodo possit.

Sed hic nondum cessant quidam: & plures nihilominus cibos in cœnæ Dominicæ usu adhibendos esse putant, quòd Christus dominus denuò ad mensam accubuisse, atq; Apostolis uescentibus (ut ait Matthæus) cœnã suam instituisse legatur.

At uerò non ideò efficitur alios cibos pro cœnæ Dominicæ signo adhibendos esse in illius administratione, quòd DOMINVS, cœnam suam, edentibus quibuis aliud Discipulis instituisset: nisi doceatur, illum, ab ullis cibis illis, cœnam suam auspicatum esse. id porrò adeò doceri non pos

test

test, ne plane diuersum ex Paulina narratione doceatur, nempe Christum Dominum, etiamsi discipuli post nouum illum eius accubitum alia quoq; edissent, non tamen ab illis cibis ullis cœnam suam auspicatum esse: sed ab ipsa panis ac poculi cœnæ in manus suas sumptione, gratiarum actione, distributione & Apostolorum participatione. Dominus Iesus (inquit) in ea nocte qua traditus est, accepit panē, &c. Ex hac sanè Apostolica narratione clarissimè apparet, Dominum, ab ipsa panis in manus suas sumptione & gratiarum actione cœnam suam mysticam noui testamenti auspicatum esse. Et proindè quod ille in signo ipso cœnæ suæ censeri noluit: nos quoq; pro signo illius habere non debemus: multò minus autē urgere tanquàm necessarium: cū in nulla dominicæ institutionis parte reperiri possit. Sed ea tantū pro signo cœnæ Dominicæ reputare debemus: quæ post acceptum in manus suas panem ac poculū cœnæ, actasq; Deo patri gratias, Dominum ipsum fecisse cum Apostolis suis uidemus.

Ab ipsa igitur panis & poculi in manus Dominicas sumptione, cœnæ dominicæ signū obseruare debemus. Et id nobis in cœnæ dominicæ

minicæ administratione faciendũ esse statuemus (iuxta mandatũ illud. HOC FACITE) quod Christum Dominum sumpto in manus pane ac poculo cœnæ fecisse (iuxta Euangelistarum & Pauli narrationem) Apostolosq; ipsius demum etiam obseruasse uidemus.

Videmus autem hæc à Domino in ipsa cœnæ institutione acta esse: Primum, illum, panem & poculum suo ordine in suas manus sumpsisse; deinde Deo Patri suo (non uulgaribus proculdubio uerbis) gratias egisse. Postea panem ipsum fregisse, atq; accumbentẽ accumbentibus Apostolis (ut acciperent, ederent, ac biberent) porrexisse, & dixisse. Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, uel frangitur, ut Paulus habet: Hoc est sanguis meus. seu, hoc est testamentum in meo sanguine: quemadmodum Paulus & Lucas testantur. qui pro uobis (ut Lucas ait) aut pro ipsa multitudine effunditur, quemadmodum Mattheus & Marcus habent.

Hoc igitur in signum cœnæ suæ à Domino constitutum esse habemus: ut exemplo ipsius, panem ac poculum cœnæ, qui in ministerio Ecclesiæ (Christi loco) positi sunt, in manus suas accipiant. ut gratias agant Deo patri

tri prō delatis suis erga nos in Christo Domino beneficijs. Et actis Deo patri per Christum Dominum gratijs, panem frangant, cū passionis dominicæ cōmemoratione. fractūq; deinde panē, atq; apparatū in hoc poculū, accumbentes accumbenti etiam Ecclesiæ porrigant: ut accipiat, edat, ac bibat, in Christi Domini recordationem.

Hoc ita (inquam) à Christo Domino & eius Apostolis factū esse legimus, in prima cœnæ suæ institutione. Et cū id ipsum sanè, non autē aliud quidquā facere iubeamur mādato illo (HOC FACITE) signūq; in sacramento id sit, quod in externo Ecclesiæ, eiusq; ministrorū opere (iuxta Dei mandatum) positum esse ostat. Perspicuū est, signū cœnæ dominicæ esse, panis ac poculi cœnæ publicam in cœtu Ecclesiæ in manus ministrorū sumptionē, gratiarū actionē, fractionē panis, eiusq; demū, ac postea poculi (accūbente Ecclesia) distributionem, acceptionē præterea utriusq; ab ipsa Ecclesia, & deinde eorū participationem, cum mysterij per hæc omnia adumbrati explicatione.

Hoc inquam signum cœnæ dominicæ esse dicis

dicimus, ex Pauli Apostoli & Euangelistarum narratione. quod ordinè per partes singulas iam intueamur. ut uideamus, qua parte uiolata sit hactenus cœnæ Dominicæ institutio, in signi ipsius consideratione per ANTICHRISTIANAM Papæ Romani tyrannidem & Simiarum ipsius.

Atq; sanè uel ex sola cœnæ dominicæ profanatione, facile apparet, Papam Romanum, uerum proculdubio Antichristum esse: quiuim omnem ac dignitatem CHRISTI Domini in suo Sacerdotio supprimere planè conatur. Et nihil non agit, ut in suæ huius impietatis sotietatem, partim poculi sui meretricij lenocinijs, partim uerò tyrannide suâ pertrahere omnes possit.

Is igitur in ipso signi cœnæ Dominicæ initio, impietatis mox suæ minimè obscurum specimen dedit. CHRISTVS Dominus in cœnæ suæ institutione, panem primum, deinde poculum in manus suas accepit: ut Apostolis & toti suæ in illis (ut iam est dictum) Ecclesiæ in cibum & potum daret. Papa uerò, seruus DOMIMO suo

maior

maior scilicet: panem quidem sumit & ipse, ac poculum, sed quæ nemini alteri, nisi suis illis incantatis adiuratisq; similis communia esse uult. ne delatam gratuitò à Christo fidelibus omnibus sacerdotij sui æterni communionem, nobis abripere, atq; in iuratas duntaxat similes suas illas transferre possit. Aut si omninò plebi in Ecclesia (cœnæ dominicæ nomine) aliquid dandum sit: id ita dari instituit, ut pro Eucharistia, prodigiosum nobis planè idolum obtrudat, & altera signi parte nos insidiosè fraudet. nimirum aliter non posset subsistere ullo modo discrimen illud, inter laicos (profanos uidelicet turbæ execrabilis, quæ legem non nouit homines) & sacrum illum (ad quem modum fames auri, sacra à poëta uocatur) clericorum suorum ordinem, quem cum laicis confundi non sinit.

Re uera autem sunt clerici omnes, qui ullo modo pertinent ad papistici sacerdotij ordinem: atq; in eo sibi placent, quacunq; tandē illius professione, & quibuscunq; notis ipsius. sed longè alia ratione quàm nescio quis Isydorus in decretis ipsorū legitur attulisse. Atq; uerum sanè est clericos, à uoce Græca κλῆρος uocari: sed non quatenus sortem peculiū

cuiusmuè aut hæreditatem absolutè significat. Hac enim ratione, Paulus multis locis, universam Christi Ecclesiam, clerum esse apertissimè testatur: & passim id alioqui in Scripturis habetur. Sed quatenus naturam ac ingenium uermis cuiusdam referunt, quã à Græcis etiam κλῆρος nocatur. Refert autem in historia animalium Aristoteles, nasci in apum aluearibus insectum quoddam, aureo simile: quod non sauis tantum sit noxium, sed in ipsum quoq; apum examen uniuersum exitialem quandam contagionem inducat. Eum porrò uermem, ubi & mel totum infecerit, & apes maxima ex parte euecarit, alas demum assumere: & deinde à nonnullis κλῆρον uocari, quòd lumen ignis noctè perpetuò circumuolitans soleat infestare. Plinius uerò, κλῆρον, morbum ipsum, ueluti tuberculum quoddam, ex cera & duricia in fauis collectum uocat: ex qua demum infectis alueribus uermẽ illum nasci plerique putarũt. Ab hoc igitur clero, siuè morbo iuxta Plinium, siuè insecto iuxta Aristotelẽ, uerè proculdubiò clerici uocantur: quicunq; ad ordinem illum papistici sacerdotij quoquomodo pertinent. atq; illius nomine sibi ita placent, Ephe.1. Coll.2. Psalm.2. Apoc.1.

ut inter laicos censeri nolint. quorum alios qui opus aliud non sit, q̃ terrã colere, uxores ducere, & decimas soluere: hisce nãq; notis laicos à se discernunt. Etenim ordo hic natus est in medijs ecclesiæ penetralibus, ad quẽ modũ clerus ille nascitur. in medijs apũ aluearibus. adeoq; in ipsis fauis mellis: hoc est, in partis aliorum laboreopibus ac fortunis. Deinde fauos omnes, lue sua inficit, ipsã inquam doctrinã Euangelij salutarem, quã Propheta Psal. 19. fauis mellis cõparat atq; etiã anteponit. neq; hoc tantũ, sed in ipsũ etiã uniuersum apũ exanẽ, in uniuersã mq̃ Christi Ecclesiã contagionẽ suæ superstitionis ac idololatriæ inuehere modis omnibus conatur. Præterea in hoc ipso clericorũ ordine, pyraustæ ingeniũ referunt, qui alas sibi qualescũq; artibus suis collegerunt. ut quemadmodũ Pyrausta noctu duntaxat uolitat. posteaquàm uolare cœpit: & oblatũ quodq; lumen semper infestat, donec alis adustis concidat. Ita & clerici isti, è medijs ignorãtiæ tenebris impetere non cessant oblatũ nobis in Christi Euãgelio (uelut in lucerna quadã) diuinæ cognitionis lumen. neq; prius cessabunt impetere, q̃ igne ad extremũ illo diuini iudicij adusti, tandẽ concidant

dant: ut non amplius unquàm omninò resurgãt. Huius generis igitur clerici sũt, ad quos solos Papa Romanus, panẽ simul ac poculum cœnæ dominicæ uult pertinere: uiolata prima signi parte, in cœnæ dominicæ institutione. nempè ipsa panis ac poculi cœnæ in manus (ad pascendam Ecclesiam) ipsumptione.

Quemadmodũ autẽ non ita in manus sumũt panẽ ac unum cœnæ dominicæ ministri papistici, ut Christus Dominus instituit: nẽpè in escã ac potionẽ mysticam Ecclesiæ ipsius. ita neq; ad eũ modũ agunt deo Patri gratias, ad quẽ modũ Christus dominus accepto in manus suas pane & poculo cœnæ, & ipsemet gratias egit, & suũ nos exemplũ imitari præcepit. Neq; enim dubiũ est, Christũ Dominũ, pro ueteris testamẽti in nouũ iã cõmutatione, gratias patri suo egisse: cuius ipse monumentũ iam deinceps in Ecclesia obseruandũ instituebat, cũ ardẽti precatione hauddubiè pro successu Euãgelij sui. Isti uerò, tantũ abest ut de agẽdis deo patri gratijs cogitẽt, pro testamẽti in Christo D. innouatione atq; illustratiõe: ut lucẽ Euãgelicæ doctrinæ in ipsa dominica institutõe, ad umbras rursũ plusq; Iudaicas, ne dicã tenebras ipsas, reuocare conẽtur: dũ instituto quodã sacerdotij (Chrõ planè

aduersarij genere, cœnã Domini, in Miſsarũ ſuarum cauponam (quod in ipſis eſt) tranſformant. Et nouam formant neſcio quam obłationem propitiatoriam, ſeu (ut iã uocare illam, argutius ſcilicet, cœperunt) applicatoriam: ne Chriſtum denuò crucifigere, occidereq; uideantur. imò uerò gratiarum actoriam hanc Chriſti Domini in cœna ſua præcationem, in magicam quandam elementorũ cœnæ conſecrationem, hoc eſt, incantationẽ uertere non dubitarunt: qua rerum ſpecies neſcio quomodo tranſmutentur, nouumq; Chriſti Domini corpus paſtaceum (quod alioqui uirgo mater, neq; concepit unquam, neq; peperit) formetur, ut ipſorum quæſtui & idololatriæ ſeruire poſsit. Qua tamen in parte magis illos ad cælandum ſuum mendaciũ memores (quod dicitur) eſse oportebat. Cum enim gratiarum actionem Chriſti Domini pro conſecratione accipi uolunt. Et cõſecrationem in uerbis ſolemnibus illis conſtituunt, Hoc eſt corpus meum: non meminerunt, gratiarum actionem (iuxta narrationis ordinem) priorem fuiſse, ipſa panis fractione & diſtributione. Verba autem illa, quæ ipſi conſecrationis loco habent, prolata eſse poſt

panem

panẽ iam fractũ. dubiũ, in ipsane illius distributione, an uerò posteaquam Apostoli iam & panem ipsum edißent, & poculum etiam bibißent: quemadmodum ex Marci uerbis de poculo facilè colligi potest.

Et hanc igitur alteram signi in cœna dominica partem corruptam planè, uiolatamq; ac turpißimè prophanatam à Papa & grege suo uidemus: nempè Christi Domini gratiarũ actionem, ubi cœnæ elementa in manus suas accepißet.

Ad eundem porrò modum uiolarunt etiã tertiam partem in signo cœnæ (iuxta narrationis ordinem) nempè ipsam panis mysticã fractionem. neq; enim panem coram Ecclesia frangunt, quemadmodũ Christus fecit, & facere præcepit, ad adumbrandam corporis sui sanctißimi in morte sua grauißimã (pro nostris peccatis) afflictionem. sed panem circũtonsum proferunt, ne illis cum Christo Domino ulla omninò ex parte conueniat. Cuius alioqui exemplũ atq; institutionem simpliciter sequi uelle, uideri proculdubiò poßet esse contra naturam ac dignitatẽ ordinis ipsorum. in quo locũ non habet regula illa, Nõ est maior seruus domino suo: Sed audiri oportet

Ero par, adeoq; maior altißimo. quatenus ſas nè cõdendi noui (ut uocãt) canonis, laxandæq; ac reſtringẽdæ legis diuinæ, poteſtatẽ ſe habere iactãt. niſi ſi ideò panẽ cœnæ circumtonſũ proferre, q̃ Chriſti exẽplo frãgere coram Eccleſia malũt, cũ paßionis dominicæ cõmemorationem: quod cũ ipſi magnã ſanctitatis partẽ ordinis ſui clericalis (ut iã eſt expoſitus) conſtituant in tõſionibus & raſuris: metuũt, ne Chriſtus inter laicos & ipſe cenſeatur, ſi nõ illũ circumtonderẽt. Circumtonſum igitur panẽ cœnæ, proferũt fortaßis, ne quis Chriſtũ dominũ (quẽ illic eße cõtendũt quãtus quãtus eſt) clericũ ipſorũ ordinis nõ ſuiſſe ſuſpicetur. alioqui nõ uideò, cur illis circũtonſus panis magis placeat: cum à Chriſto domino, & eius demũ Apoſtolis, fractũ ſẽper fuiße cõſtet. quãq; & illud dici poteſt. Panẽ à Papa & ſuis circũtondi, quẽ ipſi Chriſtum ipſũ eße uolũt: quod eũ ab Herode olim: aut quod itẽ Iouẽ à titanibus in ludibriũ circumtonſũ eße audiũt. nimirũ ad eundẽ modũ ipſimet ludibrio habẽt Chriſtũ Dominũ in ſuis inſtitutionibus, quas neſãdißimè profanarũt: ad quem modum illum ab Herode, & Iouem à titanibus ludibrio habitum fuiße aiunt.

Sed

Sed & quartã signi in cœna dominica pars tẽ multò adhuc impudentius uiolarunt: nẽpè ipsam panis fracti & poculi cœnæ distributionem. Etenim Christus dominus eum ipsum panẽ quem in manus acceperat, acceptũq; (actis gratijs) fregerat: eundẽ ipsum (inquã) panẽ distribuisse legitur. Papa uerò & sui id quod in cœna distribuũt, panẽ esse iã amplius negãt: & poculum ipsum populo surreptũ, in sui duntaxat sacerdotij ordinè haberi uolũt. Cõmentũ ipsorũ de trãsubstãtiatione refutat Paulus: dũ nos, unũ panẽ, oẽs uocat: eò quòd de uno eodemq; pane oẽs participemus. Neq; hic subsistit cauillũ ipsorum, dũ à Paulo, id quod antea panis fuerat, panem adhuc uocari nugantur. neq; enim dicere potuisset Paulus, adeoq; dici etiamnũ nõ posset, nos, unũ panẽ ESSE. dũ unũ panem edimus: nisi id quod edimus, sit etiãnũ reuera panis. Sed fusse nos quoq;, nõ aũt ESSE, unũ panẽ oporteret: si id quod edimus, panẽ fuisse etiã, nõ aũt esse dicamus. oportet enim in signo ipso typũ mysterij præsentem esse, nõ autem fuisse: si mysterium ipsum typo suo debeat respõdere. Quarè & in cœnæ Dominicæ usu panẽ præsentem esse: non autem fuisse oportet: si dum

illum edimus unus quoq; & panis eße, nõ autẽ fuiße cenſemur: quemadmodũ Paulus docet. ut interim hic de idololatrica panis cœnæ eleuatione, circumgeſtatione, & adſeruatione nihil dicamus. quæ uelut ex diametro alioqui pugnant omnia, cum inſtituta à CHRISTO Domino in cœna ſua panis & poculi diſtributione: Et horribilẽ prætereà idololatriam, in Chriſti ipſius contumeliam inuexerunt.

Deniq; & quintã quoq; ſigni in cœna dominica partem ſanctißimi iſti & reuerendißimi uentres (patres dicere uolebã) prorſus ſuppreßerunt: ne quomodo deeßent tuendæ ſuæ idololatriæ. Chriſtus Dominus panem fractum ita diſtribuit in ſua cœna, ut illum Apoſtoli ipſi acciperent. Ait enim Chriſtus Dominus. Accipite. Et protinus ut idem etiã deinceps obſeruaretur, præcepit (HOC FACITE). Iſti uero non modò nõ patiuntur accipi panem aut poculum cœnæ in manus ab Eccleſia: ſed uel attigiße hæc, graue eße piaculũ, nec ſine peculiari ſua expiatione elui poße docent: nimirum indigna eſt plebs illa laicorum execrabilis, ut pasticeum ipſorum Deum quoquomodo attingat.

Ad

Ad eundem uerò modum & confeßũ Ecclesiæ publicum, in ſupplicem procumbendi morẽ (ad Dei illius ſui circumtonſi adorationem) tranſmutarunt. Chriſtus Dominus, accumbens, accumbentibus, cœnã ſuam adminiſtrauit. Iſti tot geſticulationes, tot procubitus, tantumq; apparatum ueſtium, nolarum, cereorum, ſuffituum, & aliarum ſuperſtitionum coaceruarunt, ad Dei illius ſui circũtonſi gloriã: ut uſum cœnæ dominicæ, uerterint planè in ſpectaculum quoddã theàtricũ: cultuſq; Dei illius ſui ſummam, conſtituerint in cœnæ (ut uidemus) dominicæ nefandißima profanatione.

Porrò quidnam edat aut bibat apud iſtos, ipſorum Eccleſiaſtæ cũ ipſimet teſtentur, neq; panem neq; uinũ eße, quod in cœna ſua proferunt? Et perſpicuum ſit (quemadmodũ magna ex parte iã eſt oſtenſum, & adhuc oſtẽdetur) corpus ab eis & ſanguinem Chriſti (ut putant) diſtribui haudquaquàm poße? ut intelligamus, in cœna ipſorum, non aliud proponi in cibum toti Eccleſiæ, niſi accidentia ſine ſubiecto, ut uocant. Ita uidelicet eos dementauit ipſorũ ſapientia: ut nuſquàm amplius in ſuis adinuentitionibus conſiſtere

omninò posſint.

Atq; ſanè ridicula iam eſſe uidemus (gratia domino) hæc ipſorum deliramẽta: ſed eſt nobis deploranda interim hæc tanta generis humani etiam in ipſorum impietate calamitas. quòd dũ iſti rebus diuinis, ab ipſomet Chriſto Domino (iã iã alioqui morituro) ſumma cura hauddubiè inſtitutis, ita fœdè atq; impudenter abuſi ſunt: infinita hominum milia ab illis demẽtata eſſe uideamus. Debemuſq; procul dubiò ingentes deo Patri noſtro agere gratias: quòd nos è tenebris hiſce pluſ quàm Cimmerijs per ſuam uerè paternam miſericordiã eripuerit, donata nobis iam denuò luce ſalutari Euangelij Chriſti. Et cauere modis omnibus, ne poſt exortam eam lucem, tenebras magis quàm lucem nobis donatã dilexiſſe uideamur. Lux porrò in ſolo duntaxat Chriſto eſt, qui omnẽ hominem illuminat: & proinde tenebræ ſunt, quidquid extra Chriſtũ, uerbũq; ſuum, uel diſcitur, uel docetur, uel obſeruatur. ut ſi poſt agnitã Euangelij lucẽ, nondũ plane ea abijciẽda eſſe putemus, quæ præter uerbũ ipſius, ſeu hypocriſi Phariſaica, ſeu Antichriſtiana tyrãnide inuecta quoquomodò eſſe uidemus: nondũ equidẽ affirmare poſſimus

simus, lucẽ à nobis illã, magis q̃ tenebras, amaueri, quidquid hic omninò prætexamus. Nõ est enim consensio ulla, luci, cum tenebris, inquit Paulus: ut eas ullo modo connecti inuicẽ posse putemus. Imò uerò, qui curã Ecclesiarum sibi concreditam habent, esse id intelligent hauddubiè debiti officijq; sui: ut se cooperarios esse declarẽt Christi domini, in destruendis diaboli operibus, quacũq; tãdẽ arte, fuco, prætextu, aut tyrãnide, inuecta, recepta, obseruataq; esse constet. Is uerò princeps est tenebrarũ omniũ: ut ab illo tenebras omnes offundi ne dubitemus. & illius opera nos retinere intelligamus: dũ offusas undecunq; in Ecclesia Christi (extra uerbi sui diuini lucẽ) tenebras, siue in doctrina, siue in ritibus Ecclesiasticis retinemus. 2. Cor. 6

Scio simul ac repente non posse tolli omnia: quæ longo alioqui usu altas iam radices egisse uidentur. Neq; hic damno eos, qui ut Ecclesiarum tranquillitatem tuerentur, quædam sibi ad tempus toleranda esse existimarunt. Sed aliud est, tolerasse quæ non probes: in lenitate & modestia CHRISTIANA propter tranquillitatem Ecclesiæ. Aliud uerò est excusare ac retinere uelle

uelle etiam, in doctrina ac cultu Dei: quæ tenebras eſſe, negare non poßumus. quatenus uerbo Dei approbari non poßunt. Niſi ſi extra Chriſtum ac doctrinam ipſius, lucem aliquam ſalutarem nos habere poſſe cum Phariſæis illis putemus: ad quos Chriſtus apud Ioannem ait: Si cæci eſſetis, peccatum non haberetis, &c.

Et cum non aliundè omnes proculdubiò tam in doctrinæ quàm in ritibus Eccleſiæ tenebras, ſiuè Phariſaicas olim, ſiuè nunc papiſticas prouenißе ſciamus (iuxta ipſiuſmet Chriſti Domini teſtimonium) quàm quòd abiecta mandati diuini obedientia, humanæ traditiones in prætio eſſe cœperunt. Equidẽ ſibi hic inuertendam eſſe paginã hanc intelligent, quicunq; Chriſti Domini cooperarij in eius Eccleſia nunc haberi uolunt. nempè ut abiectis humanis traditionibus, quæ uerbi diuini autoritate cõprobari non quæunt: oculos, atq; animum totum adijciant ad inſtaurandam puritatem obedientiæ uerbi Dei: tã in doctrina Eccleſijs tradenda, quàm in rituum Eccleſiaſticorum obſeruatione. Sed omnium maximè in uſu Sacramentorum: Quorum profanatione, cum eo impietatis ac demens

mentiæ prolapsos esse papistas uideamus, ut pro crimine plusquàm parricidiali habeant, uerã illorum dignitatem uelle adserere. mes tuere & nos profectò iustum Dei iudicium debemus, si præter Christi domini uoluntatẽ, assumenta eis nescio quæ nostra addere uelle mus. Quasi uerò ille aut non tam prudẽs fue rit quàm nos simus, in forma præscribenda suæ institutionis: aut nos hic se maiores esse uoluerit, ut ab ipso prætermissa suppleres mus.

At uerò cum dominus ipse tradito mans dato illo (HOC FACITE) omnem nostram prudentiam, omnemq; autoritatem conclus dat sub exempli sui obedientiam. Cum Paulus item non aliud sit ausus tradere suis Corin-thijs: quàm quod à domino acceperisset. Subijs ciamus & nos hic nostram omnem prudentis am, omnemq; nostram autoritatẽ, diuini hus ius mandati obedientiæ. ualereq; omninò fas ciamus papisticam illam indulgentiam, qua se illi diuina omnia laxare astringereq; (pro bona sua intentione) posse putant. Et ea ipsa tantum esse signa Sacramentorũ statuamus: eaq; duntaxat etiam in ministerio nostro obs seruemus: quæ exemplo Christi nobis propos

sita

ſita,mãdatoq; ipſius nobis ĩperata habemus.

Accepit ille panem,in cibum Apoſtolis diſtribuendum:poculum item illis propinandũ. Accipiamus & nos panem, iuxta ac poculum:nõ autem Poculo Eccleſiã Chriſti fraudemus.Et accipiamus in cibũ ac potũ Eccleſiæ ſub Apoſtolis tũ adumbratæ,ut iã dictum eſt: non autem ad idololatricam illorum eleuationẽ,circumgeſtationem, & adſeruationẽ.multò minus autem ad blaſphemam illam, ſiue propitiatoriam,ſiue applicatoriam,pro peccatis uiuorum ac mortuorum oblationem.

Egit ille deo patri ſuo poſt panẽ poculũq; acceptũ gratias:Agamus & nos eidẽ ipſi deo Patri(p eum ipſum filium ſuum) gratias, pro innouato iam in morte ſua teſtamẽto:exortaq; luce ſalutis noſtræ in Chriſto,quã uetus Eccleſia typis adumbratã expectabat. nõ aũt panẽ ac poculũ magicis preſtigijs incantemus.

Fregit demum ille aceeptum in manus panẽ,poſtq; gratias egiſſet: frangamus & nos cum paſſionis dominicæ reputatione.nõ autẽ Herodis aut titanũ exemplo, Chriſtũ circũtondamus:cũ hanc circumtonſionem horribili idololatriæ ſubſeruijſſe uideamus.

Diſtribuit ille fractũ panẽ accumbens accum

cumbẽtibus: hoc ipsũ faciamus & nos. nõ aũt fingamus, panem nõ esse, quod distribuimus. multo minus autem ritus eos cœnæ dominicæ adhibeamus: qui hactenus circumtonsi illius ac pisti dei idololatriã aluerũt, & naturã ac dignitatẽ sacerdotij Christi grauissimẽ obscurarũt. Quod si hactenus tolerari quædã adhuc oportuit: ad ea iam tandẽ iusto ordine abolenda, pro nostra uirili singuli (ut cuiusq; est uocatio) incumbamus. Et tanto Dei beneficio (donata nobis inquam luce Euangelica) ne abutamur.

Iussit ille, ut panem quisq; (dũ distribueretur) acciperet: hoc ipsũ iubeamus & nos. nõ aũt indignos esse putemus fideles ac pios homines, qui panẽ cœnæ aut poculum manibus suis cõtingant. multo minus autẽ superstitionẽ illã alamus, qua Christi corpus sacrosanctũ, aut ex pane formatum, aut in pane latẽs, nefas esse uidetur cõtrectare quoquomodo.

Iussit itẽ, ut panẽ acceptũ ederemus, poculũ item biberemus, in sui recordationẽ: Et hoc utrunq; nos faciamus igitur, non aũt poculũ à pane dimoueamus. multo minus aũt ex parte iã peccatorũ remissionis obsignaculo propitiatoriũ denuo sacrificiũ (in mortis & sas

ſacerdotij Chriſti contumeliam) inſtituamus: aut inſtituto per alios, ullo modo aſſentiamur.

Addidit poſtremò Chriſtus dominus uerba illa cœnæ ſolemnia: ut nobis cœnæ illius ſuæ myſterium indicaret, non ut rerum ſpecies uerteret: ullamue oblationem propitiatoriam inſtitueret. Et nos igitur in cœnæ adminiſtratione, myſteria illius explicare, reputareq; debemus: dum panem cœnæ edimus, poculumq; illius bibimus. non autem illic magicam ullam tranſmutationem ſomniare: aut in ipſo opere externo, uim ullam ſtatuere, remittendi peccata: quaſi nõ antea remiſſa fuiſſent. Sed de uerborum cœnæ ſolemnium ſententia paulò poſt plura dicentur.

Igitur in cœnæ Sacramento, ſignum eſt à Domino ipſo inſtitutum: panem ac poculum cœnæ coram cœtu Eccleſiæ, illi in cibum ac potum proponere. prolatoq; pane ac poculo, gratias deo patri agere: pro donato nobis Chriſto domino, noui teſtamenti autore. Deinde panem ipſum (actis gratijs) coram Eccleſia frangere: cum paſſionis dominicæ teſtificatione. Poſteà fractum panem (ut ſinguli ordine in Eccleſia accumbentes accipiant) diſtri-

distribuere. ac poculum item propinare. Postremò & panem illum ita distributum, atq; acceptum edere: & poculum ita propinatũ atq; acceptum bibere, in Christi Domini recordationem: cum digna mysterij (tali cibo & potione adumbrati) reputatione. quemadmodum id & ex Euangelistarum, & ex Pauli narratione facilè doceri potest.

Diximus autem anteà, cur panem ac uinũ ipsum in cœna, signa Sacramenti neq; esse propriè, neq; etiam uocari posse existimemus. nempè quòd cum Sacramenta ipsa in ministerio Ecclesiæ sint posita, quod quidẽ ad signum ipsorum imprimis attinet: Et ministerium actio ipsa sit, ut est à Domino instituta. Sanè & signum ipsum, in actione, nõ autem in rebus actioni adhibitis, constitui oportet: quatenus pars est Sacramenti, quod totum est positum in Ecclesiæ ministerio, & proindè in ipsa etiam actione.

Sed & in ipsa cœnæ Dominicæ institutione, mandatoq; illo (HOC FACITE) manifestè docemur, signum cœnæ, non esse panem ipsum aut uinum: res (inquam) eas, quæ actioni adhibentur. sed esse ipsam actionem, cuius partes iam enumerauimus iuxta narrationem

Pauli & Euangelistarum. Neq; enim aut panem formari, aut uinum exprimi iubet Dominus: dum ait, HOC FACITE. Sed actionem imperat, suis partibus constantem: quas iam enumerauimus. ut sit signum mysterij, in usu legitimo Sacramenti. uideorq; mihi de signo cœnæ Dominicæ satis iam dixisse. de mysterio igitur cœnæ iam uideamus.

Mysterium porrò cœnæ idem esse, quod & in alijs Sacramentis omnibus, nempè nostram cum Christo Domino communionem in corpore & sanguine ipsius: testantur uerba Christi ipsa, quæ à pleriſq; uerba cœnæ solemnia uocantur. HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS DATVR. HOC EST SANGVIS MEVS, SEV TESTAMENTVM IN SANGVINE MEO: QVI PRO VOBIS, aut PRO IPSA MVLTITVDINE EFFVNDITVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

Quia uerò uerba hæc uariè exponi, atq; in eis totius controuersiæ pondus consistere uidemus. adferemus primum nostram in illis explicandis sententiam: eamq; scripturæ usu atq; autoritate comprobabimus.

Deindè

Deindè uerò & aliorum interpretationes proferemus. & adductis rationibus ostendemus, cur nostram alijs anteponamus. Tandem uerò in hisce uerbis commonstrabimus mysterium cœnæ Dominicæ aliud non esse: quàm nostram cum Christo Domino communionem in corpore & sanguine ipsius. quemadmodum & in alij sacramentis clarè nobis ostendisse uidemur.

Habemus autem plures eiusdem generis loquutiones in scripturis: cuius generis hæc loquutio est, HOC EST CORPVS MEVM. & quidem in eodem ipso argumento Sacramentario. & proindè non ineptè nobis facturi uidemur: si ad quem modum similes illæ loquutiones alibi, in eodem ipso interim sacramentario argumento exponuntur, ad eundem quoq; modum hæc nos cœnæ etiã uerba exponamus. cum enim unum sit atq; idem sacramentorum mysterium, neq; uariare ullo modo possit, quemadmodum id iam anteà ostensum est. Sanè ad quem modum in alijs sacramentis mysterium ipsorum ijsdem præsertim uerbis designatur: non uideo cur non ad eundem modum, uerbis cœnæ, mysterium ipsius designari etiam dicamus.

Porrò quemadmodum in cœnæ Dominicæ Sacramento, mysterium ipsius designatur istis uerbis (HOC EST CORPVS MEVM) ita & in circumcisionis Sacramento, eiusdē generis uerbis designatur mysterium circūcisionis. HOC EST FOEDVS MEVM. Ac rursum in cœnæ Paschalis Sacramento: HOC EST PESAH. Atq; item in Baptismo etiam: HOC FST LAVACRVM REGENERATIONIS ET RENOVATIONIS SPIRITVS SANCTI.

Ad quem modum igitur hæc prædicatio in alijs omnibus nostri generis Sacramentis usurpatur, sic ut unanimem ubiq; Scripturæ consensum retineat: HOC EST FOEDVS MEVM: HOC EST PESAH. HOC EST LAVACRVM REGENERATIONIS, &c. Ad eundem sanè modum & in cœnæ uerbis idem nobis etiam prædicationis genus exponendum esse putamus.

Iam dum in circumcisionis Sacramēto dicitur, HOC EST FOEDVS MEVM: Equidē pronomine illo demonstratiuo (HOC) demōstratur, nō cultellus aut nouacula, non itē accisum accidendumue adhuc præputiū: Sed imperata à Domino actio ipsa. ipsa (inquam)

præputij

præputij (cultro adhibito) amputatio. alioqui perſpicuum eſt, neq; cultri ſubſtantiam, neq; carnem præputij ipſam, aut fœdus Dei nobiſcum fuiſſe, aut etiam fœderis ſignum.

Rurſus dum in cœnæ Paſchalis Sacramẽto audimus, HOC EST PESAH: Sane pronomine illo demonſtratiuo (HOC) non agni illius Paſchalis caro aut ſubſtantia ipſa demonſtratur, ſed agni potius mactatio & manducatio: ut à Domino inſtituta erat. Alioqui ipſa agni typici caro non erat tranſilitio aut tranſitus, neq; ſignum tranſilitionis: quando quidem omnes tum agnos, Peſah eſſe oportuiſſet, ſi ſub pronomine (HOC) ſubſtantia ipſa carnis agnellinæ demonſtrabatur. Et fruſtra erat tot adhibere ceremonias circa agni illius manducationem: ſi ſola carnis illius ſubſtantia, ad Peſah myſteria adumbranda ſatis fuiſſet. Quòd ſi ſola carnis in agno Paſchali ſubſtantia ſatis non erat ad adumbranda Peſah myſteria: facilè eſt uidere, ſub pronomine demonſtratiuo in uerbis iſtis (HOC EST PESAH) non carnis agnellinæ ſubſtantiam, ſed inſtitutam à Deo agni typici mactationẽ & eius manducationem demonſtrari.

Atq; in Baptiſmo item dum iuxta Pauli

doctrinam dicimus: HOC EST REGENERATIONIS LAVACRVM. Aut iuxta Ananiæ uerba ad Paulum. HOC EST PECCATORVM ABLVTIO. Certè sub pronomine demonstratiuo, ineptè quis intelligat ipsam aquæ substantiam. cum aqua ipsa non sit ablutio: sed ablutio (aqua adhibita) fiat. Quare facile est uidere, sub pronomine demonstratiuo, actionem ipsam, nempe tinctionē à Domino institutam, in aqua, designari.

Ad eundem igitur modum & nos in cœnæ uerbis, pronomine demōstratiuo (HOC) demonstrari dicimus, non sane panem ipsum ac unum quod ad substantiam illorum attinet: sed totam cœnæ formam ac cerimoniam, ut est à Domino instituta, ipsam inquam externam cœnæ actionem, hoc est, panis & poculi imperatam participationem.

Huc facit etiam Paulina in uerbis cœnæ interpretatio: qui quod Christus Dominus in uerbis cœnæ corpus uocat, ueluti mentem Christi explicans, uocem corpus mutat in corporis communionē. Panis (inquit) quē frangimus, nonne communio corporis Christi est? qua sane uocis istius mutatione manifeste

1. Cor. 10

ſte uidemus Paulum, ſub pronomine demonſtratiuo in cœnæ uerbis, non tam proculdubio panis ſubſtantiam ipſam, quàm potius illius participationem intellexiſſe. neq; enim panis ſubſtãtia ipſa in cœna, cõmunio uerè ac proprie eſſe aut uocari poteſt. ut quatenus uocem communionis de ipſa panis ſubſtantia prædicari proprie non poſſe uidemus: fateri certe cogamur, non poſſe etiam ſub pronomine demonſtratiuo in cœnæ uerbis ipſam panis ſubſtantiam demonſtrari. faciunt huc præterea etiam ipſiuſmet Chriſti Domini uerba de cœnæ poculo: iuxta Lucæ & Pauli narrationem. Ait enim illic Dominus, HOC EST TESTAMENTVM IN MEO SANGVINE. &c.

Ad quem modum enim in hiſce uerbis, teſtamenti uox, de uini propinati ſubſtantia predicari non poteſt: neq; enim uini illius ſubſtantia Teſtamentũ erat: ſed inſtituta à DOMINO potius, myſtica uini potio. ad eundem ſane modũ, & in uerbis de pane, Teſtamenti uox à DOMINO de panis ſubſtantia predicari nõ poteſt, neq; enim ipſa panis ſubſtantia, Teſtamentũ eſt: ſed inſtituta à domino panis manducatio in memoriã ipſius.

Et uocem proculdubiò corporis in uerbis de pane, pro teſtamento in corpore accipi neceſſe eſt, quemadmodum uocem ſanguinis apud Matthæum & Marcum pro teſtamento
1.Cor.11. in ſanguine accipi uidemus, iuxta Pauli & Lucæ narrationem.

Ita uerò ſatis approbatam eſſe putamus, noſtram iſtam pronominis Demonſtratiui (HOC) in uerbis cœnæ uſurpationem. nempè ut ſub pronomine illo, & in uerbis de pane, & in uerbis item de poculo, non tam panis aut uini ſubſtantiam, quàm totam potius cœnæ Dominicæ formam ac ceremoniam externam: ipſam inquam panis ac poculi à Domino inſtitutam participationem intelligamus.

Verbum porrò (EST) in uerbis cœnæ intelligimus, iuxta receptam illius ſignificationem, quoties de ſignis rerum loquimur, adeoq; nonnihil amplius etiam, hoc uerbo (EST) in cœnæ uerbis comprehendi dicimus, quàm ſignificationis ſolam proprietatẽ. nempè rei ipſius adumbratæ una cum ſigno fruitionem.

Ita & in circumciſione dum legimus circumciſionem, eſſe fœdus: ſub uerbo (EST) complectimur non tantum fœderis ſignificationem

tionem: sed ipsam etiam durationem ac fruitionem. unde & Paulo non satis erat, docuisse, circumcisionem signum esse iustitiæ quæ est in fœdere: sed addit, obsignaculum quoq; esse. quemadmodum Moses uocat etiam circumcisionem, & signum fœderis, & fœdus ipsum.

Et in cœna Paschali, dum audimus, HOC EST PESAH: sub uerbo (EST) complectimur etiam, non tantum significationem beneficij illius Diuini, quo populũ suum olim manu forti ex Ægypto eduxit: seruatum alioqui propter sanguinem agni ædibus Israëlitarũ insperſum. sed etiam perpetuam eiusdem ipsius beneficij durationem ac fruitionem per fidem.

Ac in Baptismo dum audimus, HOC EST LAVACRVM, SEV ABLVTIO: sub uerbo (EST) complectimur non tantum significationem emundationis nostræ seu ablutionis in sanguine Christi Domini: sed perpetuam etiam emundationis illius durationem, ac fruitionem, aut sensum per fidem.

Et in cœna igitur Dominica, dum audimus, HOC EST CORPVS MEVM: sub uerbo (EST) complectimur non tantum signifi-

ẽationem cõmunionis nostræ cũ Christo Domino in corpore & sanguine ipsius. Sed perpetuã simul etiam cõmunionis illius durationem, fruitionem, animorumq; nostrorum in illa obsignationem.

Vnde sane perspicuũ est: magnã nobis inferri iniuriã, ab ijs, qui nos signũ cœnæ dominicæ, nudum atq; ociosum facere hactenus putarũt: nostrũq; nomẽ immeritò passim (hoc ipso nomine) traduxerũt, quod illis Dominus ignoscat.

Iam uerò in cœnæ dominicæ uerbis, corporis nomen accipimus, non pro ipsa corporis substantia: sed pro iure, ac sotietate, seu cõmunione corporis Christi. Et ut id ita faciamus, iustas nobis rationes ex ipsis scripturis petitas, non deesse putamus.

Primũ Christus D. nullam facit substantiæ corporis sui mentionẽ in uerbis suis. nõ enim ait. HOC EST SVBSTANTIA CORPORIS MEI: sed ait dũtaxat. HOC EST CORPVS MEVM. ut siue substantiã ipsam, siue sacramentũ, sub corporis nomine intelligere uelimus: id nos utrũq; ex nostra interpretatione adferre oporteat. neq; est cõtrouersia ulla de uerbis ipsis Christi D. quæ nemo nõ uerissima

rißima esse credit: sed de ea quæ p nos additur interpretatione, siue sub corporis nomine substantiã ipsã, siue sacramentũ corporis intelligamus. uaniã q; esse uideamus illorũ querimoniã, qui nos uerborũ Christi Domini ueritatem uiolare putãt: dum nomen corporis, pro ipsa substantia in hisce Christi uerbis accipiendum non esse docemus.

Deinde cũ nõ uioletur ueritas ipsa uerborũ Christi, siue sub corporis noïe substantiã ipsã siue sacramentũ corporis itelligamus: modo ne addita alterutra istarũ interpretationũ, à mẽte ipsa scripturæ, & unanimi illius cõsensu recedamus: pugnasue locorũ ullas in scripturis seramus. eã sane interpretationẽ ueritati uerborũ Christi subseruire magis, magisq; respõdere nõ dubitamus: quæ unanimẽ totius scripturæ consensũ ac mentẽ retinere uidetur. non enim secum pugnat Christus dominus, aut spiritus sanctus, in scripturis.

Porrò id sane est positum extra omnẽ controuersiam & dubitationẽ: Christũ Dominũ uerbis hic suis, sacramentum instituere. Et uerba ista cœnæ solemnia, pertinere ad sacramenti institutionem. Rectius fuerit igitur, & cum mente scripturæ magis consentaneũ, si

ſi uerba ad inſtitutionem Sacramenti pertis nentia, iuxta ipſam alioqui naturam aliorum Sacramentorum, quàm præter illorum natus ram exponamus: pro eo ac Scriptura ipſa de alijs quoq; (unius atq; eiuſdem generis) Sas cramentis teſtatur. ut ſi cum natura aliorũ Sacramentorum interpretatio illorum mas gis cõueniat, qua ſub corporis nomine docea mur ſubſtantiam ipſam corporis naturalis ins telligere oportere: illam omninò altera reiec cta potißimum ſequamur. Sin minus? tum de mum uerò hac reiecta, alteram etiam nõ gras uatim amplectamur.

Iam uerò perſpicuum eſt, fieri non poſſe, ut in alijs eiuſdem generis Sacramentis ſtas tuatur ſubſtantia ipſa corporis aut ſanguinis Chriſti naturalis: ut miniſtri manibus (per Sacramenti elementa) diſtribui poßit. etiam ſi unum ſit atq; idem omnium Sacramentorũ myſterium: nempè uera ac ſalutaris commus nio cum Chriſto Domino (aut uenturo adhuc, aut iam exhibito) in corpore & ſanguis ne ipſius: quemadmodum id in ſuperioribus abundè nos ſatis comprobaſſe putamus. Et oſtendimus etiam, in alijs Sacramentis huius generis omnibus, ſub corporis & ſanguinis

Chriſti

Christi nomine, ius nostrum sotietatis ac cõmunionis nostræ cum Christo designari in corpore & sanguine ipsius: gratuitò nobis iam olim delatæ, per misericordiam ipsius. quod equidem ius nostrum, nostraq; hæc sotietas cum Christo ac communio, haberi proculdubio, retineriq; potest uerè ad salutem nostram omnium per fidem: sic ut illa uerè fruamur: etiamsi de reali substantiæ corporis aut sanguinis ipsius naturalis præsentia, aut per manus ministri in elementis distributione nihil òmninò cogitemus. quemadmodum id commonstrauimus in Sacramentorum ueteris Ecclesiæ explicatione.

Præter naturam igitur Sacramentorum (scripturis nobis proditam) faciunt, qui in cœnæ uerbis ad Sacramenti institutionem pertinentibus sub corporis nomine ipsam naturalis corporis Christi substantiam intelligi uolunt: cum in alijs Sacramentis constitui non possit, etiamsi unum sit atq; idem mysterium omnium Sacramentorum. Nos uerò iuxta naturam omnium facimus, dũ sub corporis nomine in uerbis cœnæ intelligimus, nõ ipsam quidem corporis naturalis substantiam: sed ius, fruitionẽq; ipsam, sotietatis & com-

communionis nostræ cum Christo Domino in corpore ipsius per fidem, quæ realem aliquam (iuxta speciem ipsam) substantiæ corporis Christi, siuè præsentiam, siuè per ministri manus in elementis distributionem ne admittit quidem (ut iam anteà dictum est) nedum ut requirat.

Sed & Paulus ipse uerbis expressis sub corporis & sanguinis (in uerbis cœnæ) uocibus, non sanè substantiam ipsam intelligendam esse docet, sed communionem: hoc est sotietatem ac ius in corpore CHRISTI. dum panem fractum communionem esse testatur corporis CHRISTI. id quod in superioribus clarè nobis ostendisse uidemur. 1. Cor. 10

Præterea uerò idem Paulus adhuc & Lucas in uerbis de poculo manifestè docent, sub sanguinis nomine, non equidem sanguinis substantiam, sed Testamentum in sanguine intelligendum esse: Aliud uerò longè est Testamentum in sanguine: Aliud uerò ipsa sanguinis substantia. ut si uel ipsiusmet CHRISTI Domini uerba de pane & poculo conferamus, iuxta Pauli & Lucæ narrationem: tam sanè non possimus sub cor-

corporis nomine in uerbis de pane intelligere ipsam naturalis corporis substantiam: quàm sub sanguinis nomine, ipsa sanguinis substantia apud Paulum & Lucam intelligi non potest, nimirum Testamenti nomine in uerbis hisce CHRISTI nobis designatur, uisibilis quædam contestatio in signo cœnæ Dominicæ constituta, donatæ nobis secum communionis seu sotietatis in corpore & sanguine ipsius.

Postremò ipsa fidei Analogia non patitur, ut sub corporis aut sanguinis nomine in uerbis cœnæ ipsam corporis aut sanguinis substantiam intelligamus: quatenus sanè in ea quæ est inter nos & CHRISTVM Dominum communione, non ea hauddubiè communionis pars sacramentis omnibus designatur adeoq; & obsignatur in Ecclesia: iuxta quam ille à nobis aliquid (quod nostrum proprium fuerat) accepit, sed iuxta quam ipse nobis de suo (quod suum proprium fuerat) donauit. qua de re in superioribus copiosè nos satis disseruisse putamus. Et ut clarius sententia nostra de cœnæ uerbis intelligi possit: ita illa exponimus. HOC, id est, hoc totum quod nunc eccè instituo:

nemo

nempè hæc cœna: EST, iuxta meam institutionem, CORPVS MEVM: hoc est, iuris, sotietatis, seu cõmunionis nostræ sacramentũ in corpore meo: quemadmodum Paulus explicat: aut, Testamentum in meo corpore, quemadmodum Lucas & Paulus in uerbis de poculo habent. hoc est uisibilis in signo hoc instituta, uoluntatis meæ extremæ contestatio: de donata uobis sotietate, & cõmunione mecum in corpore meo.

Atq; ex his facilè intelligi posse putamus. nos iuxta unanimem totius scripturæ mentem: iuxta item naturam omnium Sacramentorum: Prætereà iuxta expressam Pauli duobus locis, & Lucæ expositionem: Postremò iuxta ipsam etiam fidei Analogiam. sub corporis & sanguinis uocibus rectè in uerbis cœnæ intelligere: non ipsam illorum substantiam, ut per manus ministri in cœnæ elemẽtis distribuatur: Sed sotietatem potius ac cõmunionem, seu ius donatum morte Christi, in corpore & sanguine ipsius. ut illo per fidem ad uitam fruamur, & in fide illius, usu sacramentorũ, ex Christi Domini institutione obsignemur.

Vndè sanè liquidò iam constat, non aliud esse

esse mysterium cœnæ Dominicæ, quàm alio rum Sacramentorum: nempè illa, sotietatem, ac communionem nostram cum Christo Do mino, in corpore & sanguine ipsius. sic ut iam utrunq; Sacramenti partem (nempè sig mum ac mysterium) in cœna quoq; Domini quemadmodum & in alijs Sacramentis com monstratam (ut spero) habeamus, iuxta nos stram diffinitionem.

Quæ ad tuendam de substantiæ corporis Christi præsentia, & per manus ministri dis stributione, interpretationem, afferuntur, mox excutiemus. nunc de fine cœnæ Domi nicæ dicemus, ut nostræ diffinitionis partes omnes in cœnæ Sacramento commonstremus.

Finem porrò cœnæ Dominicæ in illis uer bis commonstratum nobis habemus: hoc facie te in mei recordationem. nimirum uoluit do minus nos semper esse memores beneficiorũ suorum cum gratiarum actione: potissimum autem in usu sacramentorum. ut illa animis probè infixa semper haberemus, ad alendam nostram erga se fiduciam, quæ nõ alia re mas gis flaccescit quàm obliuione ac negligentia beneficiorum Dei. ac rursum erigitur ac obs firmatur tali præsertim illorum rememora

rione, id quod re ipsa alioqui experimur, ut hic multis uerbis opus non esse putemus.

De συλλοφορείᾳ simul ac mentis nostræ affectuumq; innouatione circa cœnam Dominicam, quæ iisdemq; uerbis à Paulo docemur: dum nos unum panem, unum corpus esse ait: eo quòd de uno pane participemus. Duobus enim nominibus unus panis, & unum corpus illic esse dicimur: nempè & quod unus simul omnes cum CHRISTO Domino Panis, unumq; corpus simus: sic ut ab illo iam diuelli non possimus. Et quod inter nos inuicem sub illo etiam unus panis omnes, unumq; corpus esse censeamur. Quatenus igitur cœna Dominica nos unum cum Christo Domino panem, unumq; omnes corpus esse testatur hactenus sanè de nostra nos in Christo Domino aduersus mundum, mortem, ac Satanam uictoria certos reddit, ut in hac cũ illo pugna, toti & summa fiducia, sine omni hæsitatione cõquiescamus. Quatenus uerò rursum cœna Dominica nobis uelut ob oculos ponit, nos omnes inter nos inuicem, qui illi participamus, esse etiam unum panem, & unũ corpus sub Christo: hactenus sanè nostræ nos renouationis admonet, ut abiectis carnis nostræ affec

affectibus, cum iã erga nos inuicẽ affectum induamus: quẽ Christi Domini erga nos fuisse in morte sua nõ dubitamus. id porrò quantã nostri intra nos innouationẽ requirat, suo quisq; periculo omnium optimè cognoscere potest; ut & hic multis uerbis opus non esse arbitremur.

Et finẽ igitur cœnæ Dominicæ una cũ suis fructibus cõmonstratũ iã habemus, iuxta nostrã uocis sacramẽti diffinitionẽ, nec iã restat amplius, q̃ ut cœnæ quoq; dominicæ peculiarẽ illius diffinitionẽ statuamus, ad hũc modũ.

Cœna Domini, est diuina ordinatio in ministerio Ecclesiæ posita, sic ut ad totã omninò Christi Ecclesiã & oĩa illius membra ordine suo pertineat. habetq; suum signũ uisibile à domino ipso institutum, nẽpè panis & poculi gratiarum actoriam per manus ministri participationem. habet item adiunctum simul etiam inuisibile mysterium communionis nostræ cum Christo Domino in corpore & sãguine ipsius. ut in fide illius, cœnæ usu, ꝑ spiritũ sanctũ obsignemur. illa fruamur uerè ad uitam æternã, & ad futuræ adhuc illius illustrationis spem, magis ac magis excitemur. certaq; illius fiducia, in ea cõquiescamus toti,

pacificatæ prorsus conscientiæ nostræ testimonio: & mentis eam nostræ atq; affectuum innouatione contestemur.

Habemus ergò iam & in cœna Dominica ad unum eundemq; cũ alijs Sacramentis modum comprobatam nostram de uoce Sacramenti diffinitionem: commonstratasq; partes illius omnes, quàm fieri potuit planissimè. sicut ab pijs (quod spero) omnibus res tota facilè intelligi possit.

Reliquum est iam, ut aliorum quoq; in uerbis cœnæ interpretationes, & quæ inde prouenerunt dissidia expendamus. Primumq; à miraculosæ illius, ne dicam magicæ, transubstantiationis doctoribus ordiemur. non quòd refutandã suscipiamus transubstantiationem illam, quam alioqui à multis iam clarissime refutatam uidemus. sed quod omnis ista cognitum uellemus, quàm inepte Papa hactenus & sui omnes suam hanc transubstantiationem uerbis cœnæ superstruere uoluerint.

Qui igitur transubstantiationem somniant: in ipsa uerborum cœnæ pronunciatione ponunt uim transformandi panem in corpus Christi. Sed præterquàm quod certi nihil

hil habent, quandònam Christus Dominus uerba cœnæ illa protulerit: ne hoc quidē docere certò possunt, pronominisne demonstratiui (HOC) An uerò uerbi (EST) aut simul omnium uerborū pronunciatione fiat: ut panis natura transmutetur in naturam corporis Christi. Non audent dicere, pronominis demonstratiui pronuntiatione uerti panē in corpus Christi, nā reliquis cœnæ uerbis nihil uirtutis relinquerent, si pronomen solum totam uim in se uertendi rerum species haberet. Rursum neq; negare etiam audent. nam si pronomen demonstratiuum ad panis adhuc substantiam referant: intelligunt se non tantum iam contra usum Scripturæ in argumento Sacramentario facere, sed etiam non posse uitare, quin eo adigantur, ut negare non possint, panis substantiam ipsam, pro nobis crucifixam esse. quatenus enim corporis Christi substantia ipsa, pro nobis hauddubiè crucifixa est: Et panis substantia (siquidem pronomen demonstratiuū in cœnæ uerbis referri ad illam debeat) est substātia corporis Christi, si sub corporis nomine, corporis substantiam in issdem uerbis cœnæ accipiamus. Hactenus sanè fatendum est, ipsam

panis substantiam, pro nobis crucifixam esse, id quod alioqui iampridē etiā uir sanctæ memoriæ Huldricus Zuinglius prudēter et religiose obseruauit.

Vtrumlibet igitur hic sibi deligant doctores isti transubstantiatorij: transubstantiationē hinc suam propugnare nullo modo possunt. siue illam à pronomine demonstratiuo mox statuant: siue eam à reliquis simul etiam solemnibus illis cœnæ uerbis pendere uelint.

At uerò nos iam ostendimus pronomine demonstratiuo in Sacramentalibus omnibus istiusmodi loquutionibus designari signum ipsū Sacramentale, hoc est formam ipsam seu ceremoniā externā Sacramenti, ut est à Domino instituta: non autē res quæ eiusmodi actioni adhibentur. Et proinde neq; panē aut uinum in uerbis cœnæ.

Sed multò minus approbare adhuc possunt noui isti chymistæ suam transmutationem, si uerbi (EST) naturā paulo modo diligentius intueamur. Dicunt uerborum cœnæ pronunciatione effici, ut panis substantia in corporis

Chri-

Christi naturalis substantia transformetur. Cæterum natura ipsa uerbi (EST) non patiatur ut eius pronunciatione aliquid efficiatur, fieri dicetur, non esse: quod incipit esse quod non erat, & desinit esse, quod erat. Esse autem dicitur id, quod iam erat: prius autem esse dicatur. Cum igitur dicat Christus Dominus. HOC EST corpus meum: esse iam illud, non autem fieri docet. Et proinde esse quoq; ante quàm uerba cœnæ pronuncientur: nedũ ut per uerborũ cœnæ pronunciationem metamorphosis ulla instituatur.

Neq; uerò usu Scripturæ comprobari potest ut uerbum (EST) pro uerbo (FIT) assumatur. Et proinde mirum uideri non debet chymistis istis, si ipsorum in uerbo (EST) interpretationem non recipimus: eum & à significationis suæ proprietate prorsus sit aliena, & naturæ omnium Sacramentorum repugnet: & sit etiam peregrina ab usu ipso Scripturæ.

Quod si neq; in pronomine demonstrativo (HOC) neq; in uerbo (EST) transmutatio illa commonstrari potest: iam sanè illis adimetur etiã uis illa cõsecrationis,

in qua noui isti chymistæ ponunt omne pondus suæ transubstantiationis.

Frustra uero sub corporis nomine in uerbis cœnæ ipsam corporis substantiam intelligi uolunt: cum id naturæ omnium Sacramentorum (ut iam ostendimus) modis planè omnibus repugnet. Et ipsa Pauli ac Lucæ in uerbis de poculo narratio, ipsaq; Pauli item explicatio haudquaquàm id omninò permittat.

In nulla igitur parte uerborum cœnæ cõmonstrari uerè potest uis illa transmutandi rerum species: quam Papa cum suis chymistis somniat in uerborum cœnæ pronunciatione. nisi quòd quæstuosa illa propitiatoriæ oblationis nundinatio induci non potuisset: ac ne nunc quidem retineri amplius posset, sine magica hac elementorũ cœnæ transmutatione.

Possem autem multa hic dicere aduersus eam transubstantiationem, impietatemq;, & abominationem illius. sed cum id iam magna cura & fœlicißime factum sit, à multis pijs & sanctis uiris, sic ut à me hic nihil amplius addi poßit, non putamus hic nobis immorandũ esse. satisq; est indicasse, falso illam in uerborum

rum cœnæ pronuntiatione constitui: cum in nulla eorum parte ostendi possit.

Iam igitur ad eorum etiam interpretationem in uerbis cœnæ ueniamus: qui transubstantiationem & ipsi non amplius agnoscunt. adeoq; & primi nostra memoria fuerunt, qui illi demoliendæ (ingenti proculdubio dei beneficio) manus suas admouerunt. sed realē interim connexionem (iuxta speciem ipsam) constituunt cum cœnæ elementis, substantiæ ipsius corporis & sanguinis Christi naturalis, sic ut substantia ipsa (iuxta speciem) corporis Christi naturalis, insit pani cœnæ: inq; ipso pane cœnæ, aut per panem, manibus ministri distribuatur: & ore carnali à sumentibus (siue sint pij siuè impij) percipiatur.

Qui igitur eiusmodi connexionē corporis Christi cum pane, & sanguinis item cum uino, in cœnæ Dominicæ usu statuunt: candidius multò agunt. simpliciter enim pronomen demonstratiuum in cœnæ uerbis, ad panem ipsum referunt: quem etiam panem manere uolunt. sed interim uariant tamē, in ipsa uerborum cœnæ expositione.

Ac primum dicunt, uerba cœnæ simpliciter ac nudè omninò exponi oportere. uiolariq;

rique ueritatem uerborum Christi, si quis ullum omninò eis schema aut tropum adhibere uelit. Sed ipsimet interim nullam eiusmodi interpretationem adferunt, quæ nullum in se schema aut tropum habere uideatur: & metuo, ne unquam adferre possint.

Si enim nudè prorsus ac simpliciter uerba cœnæ exponi debeant. Et pronomen demonstratiuum ad ipsam panis substantiam referendum sit. ad hunc sanè modum uerba cœnæ exponi oportebit (HOC) id est huius panis substantia (EST) in sua ipsius existentia, CORPVS MEVM: id est substantia corporis mei. quis uerò dicat, ipsam panis substantiam in naturali sua existentia, esse substantiam ipsam corporis CHRISTI naturalis? cum iuxta hanc interpretationem, fateri nos oporteat, ipsam panis substantiam iuxta naturalem suam existentiam pro nobis crucifixam esse: quemadmodum iam anteà dictum est.

Sed & doctrina ipsorum de corporis CHRISTI naturalis cum pane, unione, ac distributione, manifeste testatur: uerba cœ-

na

næ, ab illis, magis multò peregrine exponi, quàm à nobis exponantur. Cum enim dicunt, corpus pani inesse, aut uniri in cœna; iam negant, panem esse corpus CHRISTI. Aliud est enim inesse, aut uniri alis cui rei: aliud uerò id ipsum esse, quod esse dicitur. Vt si ex uerbis cœnæ doceri debeat, corpus CHRISTI (iuxta speciem ipsam) realiter pani in cœna aut inesse aut uniri: rectum hauddubie pronominis casum dativo aut ablativo casu oporteat commutari. Et uerbum (EST) necessariò exponendum sit, aut per uerbum unitur: aut per uerbum inest: sicq; demum uerba cœnæ exponantur. HOC: id est huic, EST: id est unitur aut inest: CORPVS MEVM: id est substantia ipsa (iuxta speciem) corporis mei naturalis. An uerò id sit uulgò ac simpliciter uerba cœnæ exposuisse: id uero facile quiuis iudicare potest.

Videmus ergo hanc talem corporis Christi cum pane in cœna unionē siue connexionem, ex uerbis cœnæ colligi non posse, siue casus in pronomine, & significationis propriæ in uerbo (EST) mutatione, quam

equis

rique ueritatem uerborum Christi, si quis ullum omninò eis schema aut tropum adhibere uelit. Sed ipsimet interim nullam eiusmodi interpretationem adferunt, quæ nullum in se schema aut tropum habere uideatur. & metuo, ne unquàm adferre possint.

Si enim nudè prorsus ac simpliciter uerba cœnæ exponi debeant. Et pronomen demonstratiuum ad ipsam panis substantiam referendum sit. ad hunc sanè modum uerba cœnæ exponi oporgebit (HOC) id est huius panis substantia (EST) in sua ipsius existentia, CORPVS MEVM, id est substantia corporis mei. quis uerò dicat, ipsam panis substantiam in naturali sua existentia, esse substantiam ipsam corporis CHRISTI naturalis? cum iuxta hanc interpretationem, fateri nos oporteat, ipsam panis substantiam iuxta naturalem suam existentiam pro nobis crucifixam esse: quemadmodum iam anteà dictum est.

Sed & doctrina ipsorum de corporis CHRISTI naturalis cum pane, unione, ac distributione, manifeste testatur: uerba cœ-

na

ne, ab illis, magis multò peregrine exponi, quàm à nobis exponantur. Cum enim dicunt, corpus pani inesse, aut uniri in cœna: iam negant, panem esse corpus CHRISTI. Aliud est enim inesse, aut uniri alicui rei: aliud uerò id ipsum esse, quod esse dicitur. Vt si ex uerbis cœnæ doceri debeat, corpus CHRISTI (iuxta speciem ipsam) realiter pani in cœna aut inesse aut uniri: tectum hauddubie pronominis casum datiuo aut ablatiuo casu oporteat commutari. Et uerbum (EST) necessariò exponendum sit, aut per uerbum unitur: aut per uerbum inest: sicq; demum uerba cœnæ exponantur. HOC: id est huic, EST: id est unitur aut inest: CORPVS MEVM: id est substantia ipsa (iuxta speciem) corporis mei naturalis. An uerò id sit nudè ac simpliciter uerba cœnæ exposuisse: id uerò facile quiuis iudicare potest.

Videmus ergo hanc talem corporis Christi cum pane in cœna unionē siue connexionem, ex uerbis cœnæ colligi non posse, siue casus in pronomine, & significationis propriæ in uerbo (EST) mutatione, quam

equis

equidē nobis usu scripturæ approbari oporteret.

Sed multò minus colligi potest ex corporis aut sanguinis uoce in uerbis cœnæ hæc talis connexio propter uarietatem lectionis in Luca & Paulo in uerbis de poculo cœnæ, ut iam anteà quoq; dictum est. Item propter eiusdem Pauli alio rursum loco explicationē: dum panem fractum, seu mensam Domini, communionē esse docet corporis Christi. Et propter unum atq; idem mysterium omnium sacramentorū: quod non admittit ullam uariationem. Quatenus sanè unus est atq; idem ab æterno & in æternum Deus: una atq; eadem semper fides: Et unus atq; idem Baptismus siuè in exhibitum Christum, siuè in uenturum,

Et uisa est sanè quibusdam durior paulò esse hæc talis uerborum cœnæ interpretatio: propter casus in pronomine & significationis propriæ in uerbo (EST) mutationem: à qua se liberare non poterant, si talis connexio in uerbis cœnæ constituenda esset: itaq; aliam rursus interpretationem protulerunt. Et in pronomine demonstratiuo Ellēpsim quandam statuebant. atq; uerba cœnæ ad hūc

modum

modum exponebant (HOC) id est in hoc uel cum hoc EST CORPVS MEVM. Putabantq; hanc talem interpretationem molliorem uideri posse: quod in solo duntaxat pronomine, schema quoddam ponerent, seruata interim & uerbi (EST) & CORPORIS propria significatione.

Cæterum & hæc talis interpretatio satisfacere omnibus non potuit. Primum quòd in aliorum Sacramentorum similibus uerbis, eiusmodi Elle ipsis constitui non poßit. Deinde quòd nullum talem huius schematis usum in Scripturis fere uideamus. Præterea quòd alium planè sensum uerborum inducat, quàm uerba ipsa testentur: Et quàm ueritas ipsa historiæ Euangelicæ patiatur. Nam Christi corpus, dũ panẽ ipse manibus suis distribueret, extra panem erat, conspicuum Apostolis omnibus. Et sanguis Christi nondum effusus erat: ut extra illud ipsum corpus, in poculo cœnæ statueretur. Imò uerò si Christi corpus ipsum in pane erat totum: & sanguinẽ quoq; totum in pane esse oportebat. Non enim adhuc usquàm sanguis Christi erat extra corpus ipsius. Et uinũ igitur ipsũ in quo sanguis Christi erat, in pane ipso iam fuisse oportebat,

bat, quatenus corpus in pane totum erat: extra quod nullus usquam sanguis CHRISTI potuit commonstrari. Postremò offendit in hac tali interpretatione id etiam, quod diuersam plane sententiam à uerbis ipsis secum adferre uideatur. Aliud est enim, hoc ipsum de quo aliquid dicitur, esse in sua existentia, id quod esse dicitur: Aliud uerò est: si aliud in alio esse dicamus.

Proinde aliam adhuc interpretationem quæri oportuit, quæ plausibilior uideri posset. & propius ad uerborum simplicitatem accedere uideretur. Reperta est igitur Synecdocha, quæ in corporis nomine, ponebatur. sic ut sub corporis nomine, non tantum corpus quod accesserat, sed panis etiam, qui dudum erat, designaretur. Vt hic esset sensus uerborum Christi: HOC EST CORPVS MEVM. id est, hoc est simul & panis & corpus meum.

Atq; sane recte adhiberetur Synecdocha uerbis cœnæ istis: si de pronominis demonstratiui, & corporis item significatione conueniret. hoc est, si sub pronomine (HOC) non equidem panis substantiam, sed formam cœnæ ipsam, totam (inquam) ex-

rem quam illam actionem: sub corporis uerò nomine, non item corporis substantiam, sed communionem seu societatem aut ius nostrum in corpore CHRISTI intelligere tenuit. Ita enim uerissimum est, cœnam Domini, seu panem fractum, siue mensam Domini, esse re uera participationem sanguinis et panis ipsius, et etiã corporis Christi. Sed dum et pronomen (HOC) et corporis item nomen ad panis et corporis substantiam refertur, præter naturam omnium Sacramentorum: et præter usum Scripturæ etiam, in Sacramentalibus istiusmodi locutionibus: sic ut nos (iuxta hanc interpretationem) unam atq; eandem et panis et corporis CHRISTI existentiam in eadem hypostasi statuere oporteat, aduersum ueræ in CHRISTO Domino humanitatis naturam. perspicuum est, in cœnæ uerbis ita expositis, talẽ Synecdochã non posse cõstitui: propterea quod illã ratio ipsa humanæ carnis ac naturæ in Christo nõ admittat.

Et quidem hic multa sunt disputata de idẽtitatibus (ut uocãt) quæ tamẽ ne ipsis quidẽ huius interpretationis autoribus satisfacere ad extremũ potuerũt. Etenim si ullo modo

idems

identitas hypostaseos panis & corporis Christi naturalis constituit ab illis ita poenas esset, ut eis satisfaceret: non equidem amplius de eiusmodi unione Sacramentali cogitassent, qua id fieret, ut corpus Christi, sit, & distribuatur, in pane, cum pane, & per panem. Est enim longè aliud (ut antè à paulò iam dictum est) esse id ipsum in sua existentia, de quo aliquid dicitur: Et esse in illo, aut cum illo: ut ne distribuatur.

Cum igitur autores ipsi huius Synecdochicæ interpretationis adacti sint ad unionē quandam Sacramentalem statuendam panis & corporis Christi in cœna: facile apparet, ne ipsismet quidem satisfeciſſe hanc talem Synecdochicam uerborum cœnæ ita explicatorum interpretationem. imò uerò & de ipsa unione uarie inter eos posteà disputatum est. Atq; alij statuebant unionem illam in connexione corporis Christi cum pane, non corporali, neq; locali, sed diffinitiua. Alij uero non in connexione ulla cum pane ipso: sed in pacti illius efficacia. ero uobiscum usq; ad sæculi consummationem. hancq; unionem, pacti unionem uocabant, & eam in ipso Ecclesiæ ministerio sub ministri opere, non autem in

connes

connexione cum elementis ulla statuebant.

Ita uero satis demum uideri cœpit quibusdam: si omissa connexionis illius cũ pane corporis Christi controuersia, exhiberi duntaxat nobis in cœna crederemus, realiter, in specie ipsa, per ministri manus, corpus Christi: siuè cum pane, siuè per panem. idq; propter pacti unionem: Ero uobiscum, &c. efficacem alioqui in Ecclesiæ ministerio, sub opere ministri.

Cæterum ut de his primum dicamus qui realem iuxta substantiam ipsam cum cœnæ elementis connexionem corporis & sanguinis Christi statuunt. Primum in omnibus istis ipsorum interpretationibus simplicem illam ac nudam uerborum cœnæ expositionem desideramus, sine ullis tropis aut figuris orationis, quam tantopere alioqui urgent: ut eos non ferant, qui illa tropicè dicta esse affirment. cum se ipsimet in suis tã uarijs, insuetisq; ac durioribus paulò etiam interpretationibus, à tropis ac figuris liberare non queant.

Deindè cum nostram interpretationem, omnium pariter Sacramentorum naturæ ad unum eundemq; modum subseruire, ac fidei

Analogiæ modis omnibus respondere, adeoq; & scripturis in hoc ipso argumento Sacramentario familiarem esse uideamus. Ac rursum uideamus omnes istorum interpretationes, cum natura Sacramentorum pugnare, sic deri Analogiam obscurare, & aliis scripturæ exemplis in eo ipso argumento comprobari nõ posse (uti iã ostẽdimus) nõ temerè nobis uidemur facere, si nostrã interpretationẽ aliis anteponamus, illamq; potissimũ sequamur. Postremò multa inconmoda adeoq; & absurda demiq; & pugnas in scripturis uitari non posse uidemus: si hæ interpretationes recipiantur, & quæ ex illis demum colligitur doctrina, de præsentia, & distributione reali (iuxta ipsã speciẽ) p manus ministri, corporis Christi in cœna. quẽadmodũ paulò à dicetur.

Argumenta quæ ad probandam hãc de tali connexione doctrinam adferũtur, non putauimus hic refellenda esse: quandoquidẽ id multis iã multorũ literis factum esse uidemus. Et cũ omnis doctrinæ huius fontes constituantur, in uerbis cœnæ, iuxta eas quas recensuimus interpretationes: nobis sanè hic satis esse uidetur ostendisse, eas interpretationes uerbis cœnæ adhiberi nõ posse. Earum uerò ut dogmata ex eiusmodi interpretationibus colle-

cta

cta, consistere ullo modo possit.

Iam qui unionē sacramentalē nō in cōnexione ulla reali cū elementis, sed in ipso ministri opere (ministerij ecclesiastici noīe) cōstituere conātur: ut propter ministerij efficaciam, p manus ministri nobis exhiberi in cœna cū pane, aut p panē doceāt ipsā nihilominus substantiā corporis et sāguinis Christi naturalis: ita rē tractāt, ut ego illos (si uerū fatear) intelligere nō possim, etiāsi nō raro cū illis et scriptis et uerbis corā egerī. Sed hoc mihi tamē uideor apud eos fuisse assequutus: q à prioribus illis doctoribus, non alia ulla in re dissētiant, nisi quòd unionē illā sacramētalē, nō tā in cōnexione corporis Christi cū pane in cœna, q̄ in ministerij potius ecclesiastici efficacia, sub ministri interī opere, cōstituere, unionemq; illam promissione Christi Domini cōfirmare uidentur: Ero uobiscum usq; ad sæculi consummationem. ac rursū, ego in medio uestri sum. &c.

At uerò nihilo magis faciūt uerba cœnæ ad doctrinæ huius confirmationem: quàm faciant ad approbandam realem illam cum elementis cœnæ corporis et sanguinis connexionem, nisi perindè nouam, Scripturisq; insuetam, & à natura Sacramentorum

prorsus alienam interpretationē uerbis cœnæ adhibeamus: idq; præter omnem necessitatem, cum nos eam asseramus interpretationem, quæ scripturis non tantum est consentanea, sed etiam familiaris in eo ipso Sacramentario argumento: peruenerit ex aliorum locorum eius narrationis collatione: & expliceat ad unum eundemq; modum, naturā Sacramentorum omnium: ac fidei Analogiæ omni ex parte respondeat omninò.

Etenim ut ex uerbis cœnæ colligi possit, corporis Christi naturalis substantiā, minis stri manibus distribui aut exhiberi in cœna, ministerij ipsius nomine: Primum, ἀλλοίωσις in pronomine, necessariò statuenda erit: aut casus rectus ablatiuo commutandus. Deindè mutanda etiam uerbi (EST) significatio: & uerbum (EST) reddendum erit, per exhibetur. Postremò sub corporis nomine, ipsam corporis substantiam intelligi oportebit. ut hic sit uerborū cœnæ sensus. (HOC) id est, in hoc ministerio, aut per hoc ministerium sub ministri opere (EST) id est, exhibetur, ministri manibus (CORPVS MEVM) id est, substantia corporis mei.

Hanc sane interpretationem addi opor-

tet

tet uerbis cœnæ: si unio Sacramentalis non in connexione illa corporis Christi cum pane: sed in ministri opere constitui deberet, ministerij sui nomine. alioqui ex uerbis cœnæ, ut sonant: nunquàm hæc doctrina constitui posset. Quorsum uerò attinet ita operosas quærere interpretationes, ne dicam coactas: cum res sit planissima, si iuxta aliorum locorum collationẽ in eadem ipsa cœnæ institutione uerba hæc cœnæ exponamus? nisi quòd ita libet fortassis nodos in scirpo quærere, ne alij alijs cessisse uideamur.

Verissimè autem dictum est, simplicẽ esse ueritatis orationem, neq; tanto uerborum aut interpretationũ apparatu egere. Proinde cũ uideamus doctrinã utranq; hanc de Sacramentali unione (siue eam in connexione mysterij cum elementis, siue in ministri opere statuamus) approbari non posse: nisi adhibitis nouis, insuetis, operosis, adeoq; & coactis interpretationibus. cum uideamus item dignitatem omnium Sacramentorum sartam tectã nihilominus retineri: etiamsi de istiusmodi unionibus nihil omninò imaginemur: imò uerò istiusmodi unionibus illã non leuiter etiam obscurari, adeoq; & eleuari, quemadmodũ

modum adhuc dicetur. Postremo eum negari non posse imaginationem hanc de reali corporis Christi in pane cœnæ præsentia iuxta speciem ipsam, parentem esse omnis papistici idololatriæ ac superstitionis: neq; nos ab illa prorsus liberari posse, tamdiu dum doctrina hæc non prorsus aboletur. Iustam nos sane (coram Deo) rationem nostræ hac in parte doctrinæ habere non dubitamus. quam alioqui & Scripturis ipsis omni prorsus ex parte consentaneam, adeoq; & familiarem in argumento hoc Sacramentario: Et claram ac perspicuam omnibus: deniq; plenam consolationis, ac prorsus salutarem esse manifeste uidemus.

Exposuimus uero in superioribus, qualē nos Sacramentalem, unionem in usu Sacramentorum statuamus. nimirum in spiritus Sancti, non autem in ministri opere: quatenus uidelicet ille est testis ac glorificator assiduus Christi Domini, in qualibet sua ordinatione: & proinde in ministerio quoq; Sacramentorum. efficitq; Diuina ipsemet uirtute sua, non autem per ministri opus: ut usu legitimo Sacramentorū, & obsignemur per incrementa fidei in nostra cum Christo Dominos

mino communione, corporis inquam & sanguinis ipsius: & ea fruamur uere ad uitã æternã: inq; spẽ certissimã erigamur expectãdæ olim adhuc illustrationis in nobis eiusq; ipsius nostræ cũ Christo D. cõmunionis. Sic enim & ministeriũ ipsũ Ecclesiæ insigniter ornatur: dũ in illo nõ tantũ ministrũ in suo opere, sed ipsum quoq; spiritũ Sanctum per se Christi Domini cooperarium facimus. Et Deo interim Spiritui Sancto ipsimet opus suum Diuinum relinquimus: quod in hominem, & opus quodcunq; ipsius transferri nullo modo, neq; potest, neq; debet.

Quodq; ad dignitatem mysterij attinet: multo magis ornamus nostrum ministerium, si in illo ipsummet Deum spiritum sanctum: nobis assistere, atq; ipsummet, per se, suumq; ipsius opus, nobis cooperari uirtute sua Diuina testemur: q̃ si illius efficaciã in nostro opere statuamus. Et enim si uirtus spiritus sancti in nostro ministerio, p nostrum opus sese exerit. Aut sane opus ipsum ministri semper & ubiq; efficax erit: Aut unio illa pacti, Ego sum uobiscum, &c. non semper certa erit.

Atq; sane eam potissimũ ob causã unio illa Sacramentalis non ab omnibus cõstituitur in

reali illa mysteriorum cum elementis connexione circa usum Sacramentorum: quòd alij illam ad pios simul atq; impios pertinere docent, alij uerò negant. Et ut nõ temerè id negare uideantur, unionem illam non in connexione ulla cũ elementis, sed in ministerij efficacia constituere malunt. quòd connexio illa alligationem quandam secum adferre uideatur. quã in unione pacti in ministerio requiri non posse putant. Sed dum pacti hanc unionem, in ipso ministri opere ponunt: ponere eam uerè non possunt, nisi illam operi ipsi ministri alligent. tolli enim unionem illam ab ipso ministri opere necesse est: dum opus ministri in ipso etiã ministerio efficax non est. aliquin posita unione in ipso ministri opere, ad omnes sane unio ipsa pertinebit, siue sint pij siue impij, ad quos modo opus ministri illud, in quo unio est posita, pertinere constat.

Nihil subleuat igitur eos, hæc unionis ab elementis Sacramentorũ ad opus ministri in ministerio ipso transpositio: quominus ad pios iuxta ac impios pertineat. quod tamẽ illos omniũ maximè quæsiuisse in ea ipsa transpositione uidemus.

Sed & si demus, hanc talem pacti unionẽ,

ad

ad impios non pertinere, sed tantum ad fideles: inq; ipso ministri opere illam statuamus. Sanè si opus ministri est, ipsam substantiam (iuxta speciem) corporis Christi in cœna exhibere, propter pacti unionem: & ipsa interim corporis Christi naturalis substãtia, cœnæ elementis non est connexa aut coniuncta. Vbi nã (obsecrò) exhibendã illã (ministri manibus) corporis Christi naturalis substantiã agnoscemus, aut percipiemus?

Equidẽ præter panem & uinũ nihil nobis exhiberi sentimus, in cœnæ Dominicæ administratione. neq; item aliud ministri opus uidemus, quo nobis ipsa corporis Christi substantia debeat exhiberi: quam ipsam panis & poculi distributionẽ. Aut igitur fatendũ est, substantiã corporis Christi, pani coniunctã esse: ut una cũ pane ministri manibus distribuatur. Aut si pani coniuncta non est: indicandũ est, ubinã uel distribuatur ministri manibus, uel à sumentibus percipiatur.

Hîc uerò (uelint nolint) fateri coguntur, corpus Christi exhiberi (per manus ministri) pane ipso, uel per panem, uel in pane. At dũ hoc dicunt, iam rursũ statuunt (quam agnoscere nolebant) mysterij cum elementis

connexionem. perindeq; est, atq; si unionem illam in connexione positam, nunquam transtuliſſent in opus ministri. cum opus ministri, in ipsa elementorum distributione duntaxat uersetur, quatenus à nobis uideri potest. ut non tam nos ab illa unione, in connexione posita, liberari uideamus per istam eius in opus ministri translationem: quàm potius illi nos magis multò implicari, ac rem deniq; ipsam magis multò, quàm unquàm antea inuolui, & reddi obscuriorem, simul ac difficiliorem. Qui dicunt corpus CHRISTI in uerbo, seu per uerbum exhiberi: docere non possunt, manibus id ministri exhiberi. nam manus uerbum non exhibent, neq; item per uerbum, ut ministri opus, substantia corporis CHRISTI exhiberi potest. est enim uerbum (quatenus ministri opus est) aliud nihil quam uox transiens, quemadmodum Augustinus loquitur. Et aliud est uox transiens, aliud uerò substantia in sua specie corporis CHRISTI ut hîc nihil aliud uidere possimus, quàm uerborum argutias quasdam, quæ fumos quosdam oculis simplicium offundant: ut putent aliquid dictum esse cum re uera nihil ad rem ips

ipſam dici conſtet.

Mirum eſt autem, cur, qui unionem Sacramentalem, in opere miniſtri propter pactum conſtituunt, urgere realem (iuxta ipſam ſpeciem) ſubſtantiæ corporis CHRISTI naturalis, in cœna, per manus miniſtri, exhibitionem. & interim affirmare, quòd eam ipſam ita exhibitam corporis CHRISTI naturalis ſubſtantiam ſola fide percipiamus. cum fides, quæ eſt rerum abſentium (iuxta ſpeciem) non autem præſentium (ut iam anteà dictum eſt) ne admittat quidem iſtiuſmodi præſentiam, aut exhibitionem corporis CHRISTI, nedum ut illam requirat. Et res alioqui corporeæ, in ſua potiſſimũ ſubſtantia, fide percipi non poſſint.

Neq; poteſt firmius argumentum ullum haberi ex ipſorummet confeſſione, ad conuellendam illam realem ſubſtantiæ corporis CHRISTI naturalis in cœna diſtributionem per miniſtri manus: ſiue illã in connexione cum elementis ſiuè in miniſtri opere ſtatuamus: quàm ſi illam fide à nobis percipi doceant. neq; enim fides circa res corporeas uerſatur, quod ad ſubſtantiam earũ

earum attinet: Et substantiã ipsam corporis Christi in sua specie, corporeã sanè, sensibilẽ q́, & uisibilem adeò (Scripturæ testimonio) esse constat. Ex his uero omnibus constare iã arbitror, uerba cœnæ, iuxta usum scripturæ expositæ, sic ut unanimis scripturæ consensus retineatur, magis pro nostra doctrina facere: quàm pro illorũ doctrina, qui sese illorũ nomine tantoperè alioqui uẽditabant. nec dũ ut iustam ullam causam habuerint nos ita grauiter traducendi, quasi ueritatis ipsorum fidem abrogare uoluissemus.

Nos enim clarè & perspicuè interpretationem nostrã in eiusdẽ generis loquutionibus per singula Sacramenta ordine suo approbauimus, iuxta scripturas. ostendimus itẽ, illam, cũ natura ac institutione omnium sacramentorũ consentire. Et respondere omni ex parte Analogiæ fidei, quam Paulus in omni interpretatione obseruari imprimis iubet. Quæ interim omnia, in istorũ interpretationibus & uarijs, & nouis, deniq; & coactis cogimur desiderare.

Varias esse re ipsa ostendimus: & quæ interim adhiberi necesse est, si doctrinã suam ex cœnæ uerbis colligere uelint.

Nouas

Nouas esse dicimus: quandoquidē earum exempla in scripturis nulla uidemus.

Et coactas uocamus. quod longè absint à uera ac legitima uocum significatione: dū & in pronomine demonstratiuo, aut casus uariant, aut ἐλλείψιν constituunt: Et uerbum (EST (alijs uerbis cōmutant.

Quod autē istæ eorū interpretationes cum natura sacramentorum non consentiant: inde facile apparet, quia in alijs sacramentis commonstrari nulla ratione possunt.

Et quod fidei Analogiæ non respondeant, inde sane perspicuū est: quod substantiā corporis Christi nobis ab illo donari docent, sub corporis nomine: cū eam Christus Dominus à nobis acceperit, non autē nobis donarit. id quod tam in superioribus abunde demonstratum esse putamus.

Quod si nos ad amplectendam eam (de reali istiusmodi præsentia ac distributione corporis Christi) doctrinā, uel necessitas grauis aliqua adigeret, uel utilitas ulla inuitaret: esset utiq; cur pro illa nonnihil certaremus: neq; protinus alij hic alijs cederemus. Sed cū neq; necessitas ulla doctrinæ huius omninò, neq; item utilitas commonstrari in scripturis

possit

poßit: imò cum facilè doceri poßit, doctrinā hanc, non modo non esse utilem, ne dicam necessariam: sed multa præterea secū adferre incōmoda etiā, multa item absurda gignere, & pugnas præterea in scripturis inevitabiles serere. Res profectò mira præxsusq; dolenda est, quòd eam à quibusdā ita mordicus retineri tantaq; pertinacia defendi uidemus. adeoq; & tanti fieri: ut propter illius controuersiam alij alios proscindant, ac diris omnibus deuoueant: mutuamq; Ecclesiarum sotietatem, non sine grauißima offensione multorū, Euangelijq; adeò ipsius infamia discūpāt.

Porrò non esse necessariam hanc doctrinā in Ecclesia Christi, uel indè apparet, quòd ex scripturis, certò ac perspicuè colligi non possit. Id quod tantæ alioqui, & tanti tēporis cōtrouersiæ testātur. Neq; enim cogitandū est, Deum, ita nobis obscurè aut ambigue literis sacris mandasse, quæ ad salutē nostrā essent necessaria: ut nō clarè ac dilucidè ea prodiderit, utq; nō facilè ea ab omnibus ꝑcipi poßit.

Deindè quo pacto dicamus eam doctrinā esse necessariam in Ecclesia Christi: quā ad salutē necessariam non esse constat; Etenim si realis (in specie ipsa) substantia corporis

Chris

Christi perceptio, ad salutē omninò necessaria esset: Equidē Deus illa ueterē quoq; Ecclesiā Patriarcharū ac Mosi nō fraudasset. imò uerò Christū ipsūmet exhibuisset in carne potius, primis nostris progenitoribus: q̄ de uenturo adhuc, multo post tēpore, promissionē dedisset: siquidē ad salutē illorum, realis hæc substātiæ corporis Christi perceptio, necessaria quoquomodo fuisset. At uero cū primis nostris progenitoribus, deīdè uero & Patriarchis omnibus, deniq; & toti Israëlis sub Mose Ecclesiæ, sola de uenturo Christo promissio, satis fuerit ad salutē æternā: neq; illis quidq̄ defuerit ad habendā eandē ipsā (quam & nos habemus) cū Christo D. cōmunionem. quatenus sanè eandem nobiscū escā edebant, quemadmodū Paulus docet. neq; illis tū omnibus necessaria erat quoquomodo realis ista (iuxta speciē ipsā) substātiæ corporis Christi participatio. Neq; nobis sanè necessariam esse, dicere possumus: nisi si unū atq; eundē utriusq; Ecclesiæ Deū, unā itē atq; eandē etiā utranq; hanc Ecclesiam, præterea unam atq; eandem utriusq; Ecclesiæ fidem, deniq; unum baptismum, unam atq; eandem escam & unū atq; idem poculum in uirtute & mysterio, fuisse, esse, & fore semper negemus,

quæ

quæ tamen omnia scripturis nobis tradi affirmarique uidemus.

Quare aut ueteri quoq; progenitorum nostrorum primordio, deinde Patriarcharum omnium, postremò uerò toti etiam sub Mose Israëlis Ecclesiæ, necessariam esse ad salutẽ oportuit, realem hanc (iuxta speciem ipsam) substantiæ corporis & sanguinis Christi perceptionem: quatenus sane illi Patres nostri fuere, nosq; iam tum in lumbis ipsorum una atq; eadem cum illis Ecclesia eramus. Aut si illis necessariam fuisse doceri non possit omninò, quemadmodum doceri non potest: imò uerò contrarium scriptura uniuersa testatur: Equidem ne nobis quidem illam necessariam quoquomodo esse, statui ullo modo potest. Sed quemadmodum uetus Ecclesia plenam ac salutarem habebat cum Christo Domino communionem in corpore & sanguine ipsius, per fidẽ illius uenturi adhuc, usu Sacramentorum suorum obsignabatur, atq; ideò communione sua cum Christo uenturo uerè fruebatur ad uitam æternam per fidẽ, etiamsi Christi corpus in sua substantia nondum exstaret, nedum ut per ministrorum manus distribui quoquomodo posset: ita & nos, ple-

plenam nunc & salutarem nostram cum exhibito nobis iam Christo Domino communionem habemus, illaq; uerè ad uitam æternam fruimur per fidem, & in illius fide, usu legitimo nostrorum Sacramentorum obsignatur: etiamsi illum in nostræ humanitatis corpore, ad dexteram Dei Patris in cælesti gloria sua sedere, atq; suo olim tempore, quemadmodum ascendit (corpore uidelicet suo) ita rursus uenturum, & à nobis interea exspectandum esse, non autem hic per manus ministri distribui dicamus.

Videmus igitur necessariam non esse omninò ad nostram salutem, doctrinam hanc, de reali ista (iuxta speciem ipsam) substantiæ corporis & sanguinis Christi præsentia: ut manibus ministri in cœna, cum pane, aut per panè, distribuatur: aut à cœnæ communis participiatur.

Non esse autem utilem istiusmodi doctrinam, multis rationibus doceri potest. Quod enim non prodest cuiquam, id sane nullam secum utilitatem adferre potest. Iam uerò Christus ipsemet Dominus, carnem ipsam, nihil prodesse diserte profitetur. Igitur sanè neq; realem illius perceptionem in Christi

corpore utilem quoquomodo esse, constitui potest. Vtcunq; autem sese hic torqueant quidam, in loci huius interpretatione: negare interim nõ possunt, Christum Dominũ eo loco reprehendere realem istam, in specie sua corporis sui manducationẽ. atq; ad eã reprehendendã his uerbis usum esse. Esto igitur, in genere dixerit Christus: caro non prodest quidquam. non ideò efficitur interim, uerba hæc ad reprehendendam realem illam corporis sui manducationẽ nõ pertinere. Et si pertinent ullo modo? Certè utile dici non potest id, ad cuius reprehensionẽ uerba illa (utcunq; tandem exponantur) à Christo Domino prolata esse constat. tametsi magis multò sit apposita Augustini illa expositio eo loco: qua ipse, Christũ D. de sua ipsius carne in cibum proposita (si iuxta ipsã substantiã edẽda esse intelligatur) loquutum esse interpretatur.

Deindè quo pacto id nos utile esse dicamus Ecclesiæ Christi: cuius contrarium, Christus ipsemet Dominus, utilius esse uerbis expressis testatur? Equidẽ negari non potest, contraria hæc esse: Abire uelle, & uelle esse præsentẽ. ita præsertim, ut manibus humanis teneri, distribui, ac percipi possit. Et sane negari

ri non potest etiã, de corporis illum sui abitu loqui, dum se abire uelle ait. Dum igitur utiliorem nobis fore prædicit Christus abitũ suum à nobis ad patrẽ, quàm perpetuam nobiscũ (corpore suo) præsentiam: Sane doctrina hæc de reali (iuxta ipsam speciem) corporis sui apud nos præsentia, ne dicã de distributione per ministrum, ac perceptione: utilis in Christi Ecclesia censeri nullo modo potest.

Sed si aut incõmoda aut absurda, aut ipsas etiã in Scripturis pugnas obseruemus: fateri omnino cogemur, non modo non esse utilẽ doctrinã hanc in Christi Ecclesia: sed noxiam potius, & dignam quæ prorsus aboleatur. Ac primum incommoda quæ hæc doctrina secum adfert, intueamur.

Nos in doctrina nostra dicimus, perpetuã esse, neq; interrũpi unquàm, nostrã cũ Christo D. communionẽ in corpore & sanguine ipsius: præterq; si illã destinato conẽptu nostro ipsimet uiolemus. eã uerò ita ꝑpetuã cõmunionẽ nostrã cũ Christo, obsignari in nobis usu Sacramentorũ legitimo: ut quod iamdudũ alioqui fideri nostræ testimonio possidemus, id magis ac magis impressum animis nostris indies esse sentiamus. Hæc uerò istorum

doctrina adfert nobis secum interruptionem quandã eius ipsius nostræ cũ Christo cõmunionis quam nos perpetuã esse docemus: dũ nos tum demum potißimũ Christo Domino uerè communicare docet, cum nobis realiter (iuxta ipsam speciem) corporis & sanguinis sui substantia, siuè in signo Sacramentorum, siuè in eius elementis exhibetur. Etenim si tũ demum potißimũ uerè CHRISTO Domino communicamus, dum nobis ita substantia corporis sui exhibetur. Certè non tam uerè cõmunicamus, dum non exhibetur. Non semper autem exhibetur: quia non semper cœna dominica administratur, non semper igitur uerè ac plenè ad salutem nostram Christo Domino communicaremus. imò uerò non aliâs plenè ac uerè communicaremus corpori & sanguini Christi: quàm in solo duntaxat cœnæ usu. Quæ res quantum nobis adimat ueræ consolationis, quantumq; quieti conscientiarum nostrarum in Christo detrahat: illi omnium optimè sentiunt, qui cum sua conscientia (ut illam deo approbent) colluctantur. Quantum enim absumus à plena illa ueraq; ac salutari communione corporis & sanguinis Christi: tantum nos etiam proculdubio, à

spe

ſpe uitæ æternæ abeſſe oportebit: dum in cœnæ Dominicæ uſu non uerſamur.

Non igitur noſtra nos doctrina conſolationem eripimus Eccleſiæ Chriſti, dum realẽ illam corporis Chriſti præſentiam à cœnæ elementis aut miniſtri in illa opere ſubmouemus. ſed qui nos hoc nomine hactenus præter noſtrum meritum traduxerunt, illi ipſi hac culpa tenentur in ſua doctrina, de reali iſta corporis Chriſti naturalis in cœnæ elementis præſentia & diſtributione, cuius nomine nos infamabant.

Alterum incommodum eſt: quòd hac tali doctrina, natura ac uirtus fidei noſtræ obſcuratur. Paulus docet, fidem noſtram uerſari circa ea, quæ in ſpe poſita expectantur, neq; uideri aut ſentiri in uita hac poſſunt. Et fidem nobis commendat, quæ contra ſpem in ſpem nihilominus (ſublata omni diffidentia) credit. In hac uerò de reali corporis Chriſti in cœnæ elementis præſentia, & diſtributione, non in ſpem rei abſentis credere iubemur, ſed fide iubemur apprehendere, quod re ipſa præſens eſſe, adeoq; & miniſtri manibus porrigi, diſtribuiq; docetur. cum fides ſit rerum in ſpe poſitarum, quas ſanè expectari,

& proinde re ipsa quoq; abesse adhuc oportet, ut fide subsipe apprehendi possint.

Sed & aliud adhuc, & quidem multò grauius incommodum, doctrina hæc secũ adferre uidetur. quòd quemadmodum hæc sola de reali corporis Christi in cœnæ elemẽtis præsenti imaginatio, maximam hauddubiè omnis Papisticæ idololatriæ occasionem prebuit: ita hæc doctrina etiam non prorsus nos adhuc ab ea idololatria liberare posse uidetur. Etenim corpus Christi Domini, ubi ubi est, adorandũ planè est: propter personalem atq; idemticã (ut uocant) Dei & hominis in illo unionem. iuxta quam in Christo Domino & eius corpore omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Si igitur Christi corpus naturale cum inhabitante in se omni diuinitatis plenitudine, ita aut elementis cœnæ ipsis, aut ministri operi unitur, ut uel pani ipsi realiter insit, uel manibus ministri distribuatur omnino: Adorari illud certè oportebit, siuè in pane ipso, siuè in ministri nescio quo opere: si non Christum Dominum sua gloria fraudare uelimus, sic ut ab impietate quidem illa propitiatoriæ oblationis & eius mundinatio-

nis

nis liberemur, doctrinæ huius præsidio: quod sanè plurimi faciendum est. Sed ab omni tamen specie idololatriæ non prorsus adhuc liberemur. Quæ interim res quantum in se incommodi adhuc habeat, pius quisq; facilè secum reputare potest.

Neq; uerò aut pauciora aut leuiora sunt absurda, quæ in hac doctrina uitari nullo plane modò possunt. Ac primum, si in omnicœna, ipsa corporis CHRISTI naturalis substantia ita mest pani, ut in illo, uel per illum, ministri manibus distribuatur: Sanguinis item substantia insit uino, sic ut ministri manibus propinetur. Equidem cum cœna infinitis locis simul administrari posit toto orbe terrarum, & CHRISTI corpus interim in cœlo etiam esse non dubitemus. fateri cogemur proculdubiò CHRISTVM Dominum, ipsa corporis sui & sanguinis naturalis præsentia & cœlum & terram implere omninò. atq; ita corpus CHRISTI ipsum, in sua specie, iuxta substantiam ipsam. ac sanguinē rursum ipsius, ubiq; planè esse: id quod nonnulli etiā huius doctrinæ Patroni (uiri alioqui pientissimi) affirmare

non dubitarunt. Cæterũ si & corpus ipsum: & sanguis item Christi Domini, sunt ubiq; quorsum attinebat à Christo Domino separatim in cœna institui, & corporis sui in pane, & sanguinis in poculo distributionem? Sciebat proculdubio Christus Dominus id ita fore, siquidem ita esse debeat, atq; ita eiusmodi signum in cœna sua non instituisset hauddubiè, separatam inquam corporis & sanguinis sui naturalis distributionem: si & corpus suum & sanguinem item ubiq; semper iam deinceps fore sciuisset. Hæc enim simul non possunt consistere, ut & corpus ipsum, & sanguis rursum Christi, sint ubiq;: & ut separatim rursus, & corpus in pane, & sanguis in poculo, esse, ac distribui possint. Posteaquàm uerò separatim & panem edi in cœna, & poculum bibi uoluit Christus dominus: rem sanè superfluam, adeoq; & ueritati ipsi repugnantẽ instituisse uideri posset, si & corpus suum, & sanguinem etiam, ubiq; semper esse, & omnia implere constet. Imò uerò uideri posset, cœnam ipsam frustra instituisse. cum & in nobis ipsis semper, tam corporis, quàm sanguinis sui naturalis substantiam esse iam realiter oporteret, quatenus

nus nusquàm omninò amplius non esset, nisi si in cœnæ duntaxat usu & non aliàs πανταχουσίαν hanc corpori & sanguini Christi tribuamus: Non potest autem sine impietate cogitari, nedum ut absurdū non sit, Christum Dominum, uel frustra cœnam suam instituisse, uel signa ipsius cœnæ suæ eiusmodi adhibuisse, quæ futuram hanc corporis & sanguinis sui πανταχουσίαν obscurarent, atq; adeò illi etiam repugnarent.

Alterum uerò in eadem ipsa ubiquitate corporis & sanguinis Christi absurdum est, quod Diaboli & Angelorum eius omnium, omnisq; adeò impietatis condemnationē omnem tollere planè uideatur, remouetq; nobis errorem priscum, nusquàm ullam cuiusquàm omninò condemnationem fore. Cuius contraria in Scripturis innumera testimonia habemus. Etenim si corporis CHRISTI naturalis substantia, gloria sua cœlesti amplius exui non potest, & in ea ipsa gloria sua sit ubiq; Sanè & in Gehenna illum in eadem ipsa sua gloria corpore suo esse oportebit. imò uerò nostra quoq; corpora olim, postea quàm corpori Christi conformia fuerint, in gehenna esse cum Christo Domino in eadem ipsa illius

gloria oportebit. Si uerò nostrorum corporum gloria cum Christo Domino in gehenna præsens est futura, & quidem realiter in specie ipsa, quatenus quidem nostra & illic corpora esse oportebit: Neq; sanè in gehenna condemnationi locus esse ullus poterit, eũ illam CHRISTVS Dominus & sui ipsius & nostrorum omnium corporum gloria (iuxta hanc doctrinam) impleturus esse credatur.

Sed esto, non admittatur πανταχοῦ illa corporis & sanguinis Christi: quæ tamen in doctrina hac realis istius præsentiæ uitari non facilè potest. adhuc sanè nihilominus absurdum est, atq; á fidei Analogia modis planè omnibus alienum, uelle ita à CHRISTI Domini corpore, sanguinem ipsum abstrahere: ut separatim ipsa corporis sui substantia in pane, separatim uero sanguinis sui substantia in poculo habeatur, distribuatur, & percipiatur. Quod enim uiuit, ita iam proculdubio uiuit Deo, in cœlesti gloria ipsius: ut nulli in eo amplius separationi locus reliquus esse possit.

Præterea si ipsa corporis CHRISTI naturalis (iuxta speciem suam) substantia

tia, ita unitur pani in cœnæ Dominicæ usu, ut illi insit realiter, quemadmodum dicũt: & cum illo, ministri manibus distribuatur: negari sanè non potest, ipsam etiam corporis CHRISTI naturalis substantiam ab impijs percipi in cœna. Et quidem hoc ipsum affirmari ab illis non ignoramus: sed eos non satis obseruasse putamus, quam absurdæ sententiæ ex ea doctrina colligi possint. Primum enim, si ipsam corporis CHRISTI substantiam ab impijs sumi dicamus: negare etiam non poterimus gloriam corporis CHRISTI ad impios necessariò pertinere. non enim gloria illa CHRISTI Domini, ad quam (post suam resurrectionem) in corpore suo assumptus est, à corporis sui substantia separari amplius ullo unquam modo potest. ut intelligamus, non posse percipi corpus Christi iuxta substantiam ipsam: nisi unà & gloria illius percipiatur. Et proindè impios etiam gloria corporis Christi carere non posse, gloriãq; illius adeò cum impijs condemnari oportere. si eos substantiã ipsã corporis Christi sumere dicamus.

Ad hæc si ipsa corporis Christi substãtia in cœnæ elemẽtis ab ĩpijs pcipitur ex ministri manũbus

manibus: equidē aut hæret ꝑcepta in impijs, aut nō hæret. Si hæret? condēnari illā sanè cū impijs iam oportebit. nulla enim pax impijs, ut Propheta testatur. Si nō hæret? ꝑcipiturnè ut non hæreat? aut quandônam, & ad quē modum impios rursus (semel percepta) deserit? Equidem uitari hic non posse uideo, ut non rursum ad ineptas illas Sophistarum argutias & argutas ineptias redeamus, de subuolante in cœlum substantia corporis Christi quoties panis cœnæ á mure roditur. ut de alijs taceam, quæ omitti alioqui præstat, etiamsi non pauca cōmemorari possent.

Hoc tantum addam adhuc: nè id quidem sine indignitate corporis Christi doceri posse, ut etiam fideles ipsos duntaxat substantiam ipsam corporis Christi, cœnæ elementis, è ministri manibus percipere credamus. Aut enim in pijs quoq;, semel percepta hæret: aut non hæret. Si hæret? Quorsum attinet cœnā toties repetere? nisi si corporis Christi substantiam (quo frequentius cœna utimur) hoc etiam in nobis magis ac magis augeri: aut tēpore euanescere, & proindè renouari subinde oportere dicamus. quod equidem sine indignitate corporis Christi cogitari non potest

test. Si uero in nobis non hæret? nũ ideo Christus Dominus illam percipi instituisset, ut nõ hæreat? aut quandônam, & quo modo euanescit? Audio, Christus subindè cœnam repeti uoluit? At uero eo ipso mandato suo testatur, se de distribuenda percipiẽdaq; cũ pane cœnæ è ministri manibus corporis sui naturalis substantia nihil omnino cogitasse. Sed sacramentum duntaxat nostræ secum cõmunionis in corpore & sanguine suo instituisse. Alioqui nunquam repeti uoluisset cœnã suam, in corporis sui contumeliam: si de reali ista substantiæ corporis sui in pane e ministri manibus perceptione cogitasset.

Neq; uero nobis amplius est cogitandũ, splendorem illum cœlestis gloriæ, ab ipsa corporis Christi substantia separari, aut illum contegi deinceps, ulla omnino ratione posse in æternum. Aut igitur in pane cœnæ ipso (ut de nobis ipsis taceam) splendor ille cœlestis gloriæ commonstrandus est: dũ pani illi corporis Christi gloriosi substantiam realiter (iuxta speciem ipsam) connectere uolumus. Aut nobis imaginatio hæc, de ißiusmodi connexione prorsus est reijcienda. ne corporis Christi substantiam, indiuiduo iam deinceps

in

in æternum cœlestis gloriæ suæ splendore fraudare ullo modo uoluisse uideamur. tantum abest, ut nos in nostra doctrina, aut de corpore ipso CHRISTI Domini, aut de Sacramentali nostra cum illo communione parum reuerenter sensisse unquam cuiquam ullo modo possimus.

Iam quod ad pugnas Scripturarum attinet: eas sanè & multas & graues ex hac doctrina, de reali in pane cœnæ corporis CHRISTI per manus ministri distributione collectas, proferre possemus. sed præcipuas tantum quasdam, paucis attingemus: quæ præcipuorum religionis nostræ capitum fidem obscurare uidentur. nempè, incarnationis, & ascensionis Dominicæ: de naturæ humanæ in Christi corpore proprietate, post illius glorificationem.

In capite de CHRISTI Domini incarnatione, oppugnantur loci omnes illi per hanc doctrinam: qui CHRISTVM Dominum ex matre uirgine conceptum, progenitum, factumq; esse: formam serui assumpsisse: carni & sanguini nostro participasse, & ex Patribus iuxta carnem prodijsse testantur. His enim locis omnibus dos

Luc. 1. Matth. 1. Galat. 4. Philip. 2. Hebre. 2. Rom. 1. 9

ces

cemur: CHRISTVM Dominum, corporis ſui ſubſtantiam, à nobis, ex matre ſua uirgine accepiſſe: non autem nobis donaſſe. Hæc uerò iſtorum doctrina habet: CHRISTVM Dominum, ſui nobis corporis ſubſtantiam in cœnæ uſu donare: Sunt autem hæc inter ſe contraria: accepiſſe de noſtro corporis ſubſtãtiã, quæ noſtra erat, neq; unq; noſtra eſſe deſijt. Et eandẽ ipſam nobis ab eo donatam eſſe, qui illam à nobis accepit.

Nuſquàm autem id clarius agnoſci poteſt, quàm in matris ipſiuſmet uirginis, & Chriſti Domini exemplo: ſi inquiramus, ipſenè à matre ſua uirgine corporis ſui naturalis ſubſtãtiam acceperit: An uerò eã matri ſuæ, in cœnæ ſuæ uſu donarit. Neq; enim dubium eſt, matrem uirginem, aliquandò etiam cœnæ Dominicæ una cum Apoſtolis participaſſe. Et ſi uirgo Mater ſubſtantiam corporis CHRISTI, prius adhuc in lumbis ſuis habebat, quàm ipſum conciperet: adeoq; & in Chriſtum D. ipſam ex ſeſe (ſpiritu ſancto autore) tranſfudit, ſic tamẽ ut illã nihilominus etiã ipſamet perpetuò retineret: Equidẽ quod matris uirginis iã olim erat, ante Chriſti D. incarnationẽ. quodq; Chriſtus dominus

ita

ita ab illa accepit, ut utriq; interim commune semper esset. frustra id proculdubio matri virgini à Christo Domino cœnæ suæ usu donatum rursus esse cogitemus: cum eo nunquam alioqui virgo mater caruisset.

Aut igitur statuendum est locos de Christi domini incarnatione ueros esse, quibus docemur (ne dictum est) Christum Dominum ex matre sua uirgine substantiam corporis sui accepisse. Et tum subsistere haud dubie non potest doctrina hæc, de reali corporis Christi (iuxta substantiã ipsius) in pane cœnæ præsentia, & per manus ministri distributione. Aut certe si ueram esse statuamus hanc talẽ in cœnæ pane, distributionem, quam alioqui neq; superfluam neq; ociosam Christus Dominus instituisset: loci omnino prædicti, de Christi Domini incarnatione subsistere haud quaquam possunt.

Io.16. Io.3.20. Ephe.4. Act.1. Philipp.3 1.Thess.1 Tit.2.

In capite porro de Christi domini ascensione, oppugnatur per hanc doctrinam realis istius præsentiæ, loci Scripturæ omnes: qui Christum Dominum, mundum hunc reliquisse: Ad cœlos ascendisse: Assumptum esse à nobis in alium: expectariq; adhuc ita ut ascendit testentur. Sunt enim hæc contraria, neq;

simul

ſimul poſſunt conſiſtere cum reali iuxta ſubſtantiam ipſam in ſpecie corporis ſui præſentia nobiſcum: ne dicam per manus miniſtri cum pane aut per panem cœnæ diſtributione. Aut igitur loci illi omnes expungẽdi ſunt de Chriſti Domini aſcenſione diſſerentes: ſi doctrina hæc de reali iſta corporis ſui præſentia, perq; manus miniſtri in pane cœnæ diſtributione debeat retineri. Aut certè doctrinam hanc aboleri neceſſe eſt: ut locorum illorũ ueritas immota inconcuſſaq; ſeruetur. Pugnãt enim, neq; recõciliari ullo modo poſſũt: corpore reliquiſſe, & nõ reliquiſſe mundũ: corpore aſcẽdiſſe, aſſumptũ eſſe, à nobis, in altum, ut expectetur, donec redeat: Et eſſe hic præſentem ſublata expectatione, adeoq; & corpus illius, per manus miniſtri, in pane cœnæ diſtribui, ut ore carnali percipiatur.

Scio autem pleroſq; conatos eſſe mitigare hanc pugnam locorum in Scripturis: dum cœlum, non loci, ſed conditionis nomen eſſe uolunt. dum item præſentiam corporis Chriſti in pane cœnæ eiuſmodi ſtatuunt, quæ non ſit mundi huius, non ſit localis, non naturalis, ſed que fide ſola ſentiatur. Cæterum nos ſub

cœli nomine, non conditionis tantum, sed & loci discrimen in scripturis diserte nobis cõstitui uidemus, sub ascensus & descensus nomine. potissimum autem in illa Dominicæ ascensionis descriptione, ubi CHRISTVM ab Apostolis, in sublime, ad cœlum subuectum: in sublimi, in nubibus, ab aspectu ipsorum subductum: illos eum in sublime ascẽdentem, oculis in cœlum defixis prosequutos esse. Hæc sanè frustra ita descripta fuissent, si cœlum conditionis duntaxat, non autẽ loci etiam discrimen in se complecteretur. Quare non uidemus quomodo hæc talis cœli, ad conditionẽ dũtaxat astrictio, incolumi scripturæ ueritate subsistere posit.

De genere illo nouo, eiusmodi (in pane cœnæ) corporis Christi præsentiæ, quæ non sit huius mundi, non localis, non naturalis, &c. & tamen manibus ministri teneatur, distribuatur, & à sumentibus ore carnali percipiatur, multa quidem dici uidemus: sed fontes illius in Scripturis nusquàm nobis commonstrari uidemus. quin & hoc doceri cupere mus, quonammodo id quod adest quidem, sed non iuxta mundi huius præsentiam, non localiter, non corporaliter, non naturaliter: quo-

nammo-

nammodo (inquam) id ministri manibus teneri, distribui, & percipi ore carnali possit? Quod si fide tantũ sentitur hæc præsentia: iam sanè fidei non offertur, quod ministri manibus distribuitur. nam quæ manibus distribuuntur, ad sensus magis, quàm ad fidem pertinent. quæ istiusmodi præsentiam aut distributionem, ne admittit quidem, nedum ut requirat. neq; istiusmodi argutijs igitur pugnæ in Scripturis mitigari possũt, si doctrina hæc de reali ista corporis Christi in pane cœnæ præsentia, distributione & participatione retineatur.

Iam quod ad locos de proprietatibus corporis Christi post eius etiam glorificationem attinet: & hos quoq; doctrina hæc, de reali ista præsentia & distributione oppugnat. Docemur Angelorum testimonio, Christum Dominum corpore suo, certo loco contineri: non autem ubiq; esse post eius resurrectionẽ. Non est HIC, inquit Angelus, PRÆCEDET uos in Galilæam: IBI eum uidebitis, &c. Docemur item, Christum Dominum, dum præsens Apostolis corpore suo adesset, uisum sẽper ac contrectatum etiam esse. atq; adeò hanc imprimis glorioſi iam corporis sui notã

constituisse, quod ab omni spiritu discerneretur: quòd carnem & ossa habeat, quæ & uidentur (dum adest) & palpentur. Aut igitur hæc uana erunt, si uera est realis illa corporis Christi in pane cœnæ præsentia. Aut uanam esse oportet doctrinam hanc de tali præsentia, si locorum illorum testimonia uera esse, credere debeamus.

Atq; audimus hic rursum, Angelorum uerba, ad uisibilem mundi huius præsentiam referri. At uerò undè hæc noua uerbi (EST) expositio: ut esse, idem sit, quod uideri? Sanè non ait Angelus, Non uidetur hic, etiam si hic sit: Sed ait simpliciter, NON EST HIC. Et nullam uidemus necessitatem quæ nos eò adigat, ut uerbum (EST) uerbo (uidetur) commutemus: præsertim cum de inuisibili istiusmodi præsentia corporis Christi, nullũ usquam testimonium habeamus.

Audimus item, non esse nobis admittendas ullas mundi huius cogitationes, de locorum discrimine aut corporum proprietatibus: in consideratione huius talis cœlestis & non mundanæ præsentiæ corporis Christi in pane cœnæ. Sed utinam quihæc docent, id ipsimet præstitissent. nam consecti pani, tene-

ri

ri, ac distribui manibus humanis: hæc uerò nõ uideo quomodò à mundi huius cogitationibus excludi, atq; ad cœlestem illum nescio quem præsentiæ modum referri possint. Nos nullas mundi huius cogitationes præsentiæ Christi Domini in cœna adhibemus: Sed illum nobis semper & proindè in cœna quoq;, adesse non dubitamus. Cæterum corpus eius panì connectere, aut in ministri manus concludere: id uerò quia humanum adeoq; & mundanum est, amplecti non possumus: neq; amplectendum esse putamus.

Quarè qui nos à mundi huius cogitationibus dehortantur, circa cœlestis præsentiæ Christi domini in cœna suæ considerationem: submoueant prius ipsimet mundanas istas persuasiones, de cõnexione cum pane, & demum per manus ministri distributione corporis Christi: easq; cœlestis præsentiæ nè admisceant. Et protinus cœlestem corporis Christi præsentiam in cœna agnoscemus. Sed cœlestem presentiam statuere, cum reali illius cum pane cœnæ connexione, & per manus ministri distributione: de hac uerò tali præsentia, cum nusquàm quidquam in Scripturis proditum uideamus, nihil etiam possu-

mus affirmare, imò illam probare non possumus, propter eas causas & multas & graues: quas iam copiosè nobis exposuisse uidemur.

Approbauimus igitur iã (ut spero) doctrinam nostram de cœna, iusta ac legitima uerborum cœnæ (iuxta familiarem scripturæ usum) explicatione: & consentanea reliquorũ eius generis omnium Sacramentorum collatione. Ostendimus item qua in parte simplicitatem interpretationis apud eos requiramus (quod ad uerba cœnæ attinet) qui se illius nomine hactenus uenditarunt: sic ut æquiora nos deinceps piorũ omnium iudicia (per Dei gratiam) habituros esse non dubitemus. Et ut finem iam tandem nostræ huius tractationis faciamus. Vidimus non usquè adeò difficilem in se esse causam totam hanc sacramentariam, quæ cum uulgaribus planè, atq; è media plebe petitis signis (citra controuersiam) constet ex Dei ipsius ordinatione: certum est, eam nihil in se difficultatis habere, nisi quatenus in illam inimicus ille homo suã zizania inseuit. Qui non alibi maiore conatu ferè doctrinæ puritatem infecit: eò quod nõ alibi nobis etiam omnem salutis nostræ rationem clarius patefactam, ac uelut sub imagine

quas

quadam ſignorum uiſibilium ob oculos nobis clariſſimè poſitam eſſe uideret. Vidimus itẽ undè primum orta ſint hæc de re Sacramentaria diſſidia: nempè ex uaria uocis Sacramẽti (antè omnia) uſurpatione. qua factum eſt poſteà, ut alij plus æquo, alij nerò minus tribuerent ſignis Sacramentorum. Aucta uerò eſſe uidimus hæc diſſidia, ex non ſatis diligenter obſeruatis Sacramenti partibus: dum alij, ſub ſigni uoce, res actionibus ſacris adhiberi ſolitas: Alij uerò actionem ipſam externam ſeu ceremoniam: Alij rurſum ſine diſcrimine utrunq; intelligi uoluerunt. Et dum myſterij Sacramentalis etiam ratio ipſa uariè explicaretur: nec ſatis communio noſtra cũ Chriſto Domino parteſq; illius obſeruarentur. Ita enim (dum ſua quiſq; tueri ac propugnare uellet) creuerunt diſſidia, atq; ad pugnas demum uentum eſt. Ad medendum igitur hiſce malis, fontes illorum excutere uoluimus: ut uideremus, ubinam, & quomodo aberratum ſit à ſcopo. Oſtendimus in uariatis illis uocibus (ex quibus diſſidia omnia orta ſunt) ueram, propriam, ac legitimam earum ſignificationem. Partes Sacramentorum (iuxta unanimem totius Scripturæ conſenſum)

explicuimus, & singulas in singulis etiam Sacramentis ad unum eundemq; modum commonstrauimus. Ostendimus quatenus inter omnes de mysterio Sacramentorum conueniat, qui doctrinam Euangelij amplectuntur. De Papa enim & suo grege hic nihil agimus: cum quo nullã alioqui in sacris cõmunionem (propter blasphemiarum & idololatriæ ipsius abominationes) habemus. Et exposuimus quòd omnia nostra dissidia circa signa potissimũ & elementa Sacramentorũ uersentur. Quæ sanè cũ sint uilissima, in sacramentorum cõsideratione: nobis etiam tanti facienda non essent, ut propter illa, animis quoq; nostris inuicem (contra leges charitatis & societatis Christianæ) dissideremus. Hæc ita inquam egimus omnia: & egimus bona fide pro nostra infirmitate, id nouit Dominus. Quod superest Deum supplex oro: ut omnia doctrinæ dissidia, per spiritum sanctum suum componat. omnesq; nos, qui illius filium unigenitũ, unicum, uerum, summum, atq; æternum nostrum Regem, Doctorem, ac Pontificem esse: ex animo credimus, & docemus: Proq; nominis sui adorandi confessione, certã in mundo hoc lanienam uelut oues mactationi destinatæ

tæ (per gratiam Dei) expectamus: ut nos omnes (inquam) ſpiritus ſui uinculo ita conſotiet: ut omiſſis noſtris affectibus, poſthabitaq; noſtra (quæ nulla eſt) gloria, illum ſolum unanimiter, coniunctis ſimul uotis noſtris omnibus collaudemus. teſtemurq; noſtra ipſorum coniunctione, Deum, uerè eſſe Deum noſtrum, & nos populum illius, ſanguine filij ſui acquiſitum. Cui una cum Patre ſuo æterno, & ſancto adorandoq; ſpiritu, ſit honor, laus, & gloria in æternum. Amen.

(.·.)

CONSEN-

SIO MVTVA IN RE Sacramentaria Miniſtrorum Tigurinæ Eccleſiæ, & D. Ioannis Caluini miniſtri Geneuenſis Eccleſiæ, iam nunc ab ipſis authoribus edita

1. Corinth. 1.

Obſecro autem uos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idem loquamini omnes, & non ſint inter uos diſſidia, ſed ſitis integrum corpus, eadem mente, & eadem ſententia.

CONSENS

SIVE

Sacramentaria Controversia

Pia per Rectificationem Dis-

cussio Calvini nuperi Scri-

ptoris Heretici, sum nunc

ab ipso auctore recusa

edita

ORNATISS. VIRIS

& fidelibus Christi seruis Tygurinæ Ecclesiæ Pastoribus ac doctoribus chariſſimis ſymmyſtis & obſeruandis fratribus Ioannes Caluinus

S. D.

AMETSI eadem ſæpius de re uobiſcum ago, non tamen puto mihi timendum eſſe nè importunus eſſe uidear. Quãdò idem utriſque ſtudium eſt, fieri non poteſt, quin uobis probetur quod ago, Quod autem paulò acrius inſto, huc me aſſiduæ bonorum uirorum flagitationes ſtimulant.

Iam aliquoties monui leui quidem de cauſa, non tamen ſine prætextu, offendi permultos, quód de Sacramentis diuerſum à uobis neſcio quid tradere uidear. Veſtram Eccleſiam, quæ tot præclaris dotibus ornata eſt, merito

ritò reuerentur. Nostræ quoq;, & mihi forsan priuatim, aliquid deferunt. Ita cupiunt scriptis nostris in discenda pietatis doctrina adiuuari, ne qua dissensionis species eorum progressus moretur. Huic offensioni tollendæ cum nullum putarem aptius fore remedium, quàm si familiari colloquio rationē communiter iniremus testandæ nostræ consensionis: hæc de causa profectionem, ut scitis, ad uos suscepi. Et uenerandus collega noster Guilhelmus Farellus, ut est indefessus Christi miles, qui mihi dux alioqui & author erat comitem se adiungere non recusauit. Vt inter nos conueniat testari quidem uerè ac fideliter utrimq; possumus: sed quia rem ut est non omnibus persuadeo, mihi plurimū dolet, animos uel suspensos manere, quorū tranquillitati melius consultum optarem. Proindè ut initio præfatus sum, nihil intempestiuum facere me arbitror, si urgeo ut publicū aliquod eius, quæ inter nos constat, consensionis, testimonium extet.

Ego uerò capita de quibus inter nos contulimus, & breuiter colligere, & ordine digerere operæpreciū esse existimaui: ut si uobis meum consilium probabitur, cuius uelut

in tabula cernere liceat quid inter nos & actum & transactum fuerit. Certè bona fide me ex sermonibus nostris retulisse quæcunq; subijciam, uos testes mihi fore confido. Nos uerò (me & Farellum dico) pari uobiscum studio synceram omniq; fuco & astutia uacuam perspicuitatem quæsijsse, pij lectores, ut spero) animaduertent. Quanquàm simul admonitos esse uelim, nihil hic contineri, quod non collegæ etiam nostri, quotquot uel sub Reipublicæ Geneuensis ditione, uel in comitatu Neocomensi Christo seruiunt, sua subscriptione approbauerint. Valete præstantissimi uiri, & mihi uerè ex animo colendi fratres. Dominus uos spiritu suo regere pergat in Ecclesiæ suæ ædificationem, uestrisq; laboribus benedicat.

Geneuæ Calendis Augusti.

Anno Domini.

1549.

SEQVVNTVR ARTICVLI CONSENSIONIS.

Totum Ecclesiæ regimẽ spirituale ad Christum nos ducit.

CVM CHRIstus sit finis legis, & eius cognitio totam in se Euangelij summam cõprehendat, non dubium est, quin huc spectet totũ spirituale Ecclesiæ regimen, ut ad Christum nos ducat: sicuti per eum solum ad Deum peruenitur, qui ultimus est beatæ uitæ finis. Itaq; quisquis hinc uel minimum deflecteret, nunquam de ullis Dei institutis ritè uel appositè loquetur.

Sacramentorum cognitio uera ex cognitione Christi.

Cum autem Sacramenta sint Euangelij appendices, is demum & aptè & utiliter de eorum natura, usu, officio, & fructu disseret, qui à Christo exordietur. Neq; id modo, ut obiter Christi nomẽ attingat, sed ut uerè teneat quorsum nobis datus sit à Patre, & quid nobis bonorum attulerit.

Sic ergò habendum est, Christum cũ æternus esset Dei filius, eiusdẽ cum Patre essentiæ & gloriæ, induisse carnẽ nostram, ut iure ads

adoptionis, id quod naturæ proprium habebat, nobis communicaret, nempe ut simus filij dei. Quod fit dum fide inserti in corpus Christi, idq; spiritus sancti uirtute, primum iusti censemur gratuita iustitiæ imputatione, deinde regenerantur in nouam uitam: quo reformati in imaginem patris cœlestis, ueteri homini renunciemus. Cognitio Christi qualis.

Ita Christus in carne sua considerandus est nobis sacerdos, qui peccata nostra unico mortis suæ sacrificio expiauit, qui omnes nostras iniquitates deleuit sua obedientia, qui perfectam nobis iustitiam cõparauit, qui nunc intercedit pro nobis, ut accessus nobis ad deum pateat. Cõsiderandus est tanq; uictima expiatrix, qua placatus est deus mũdo. Considerandus est frater, qui nos ex miseris Adæ filijs efficit beatos dei filios. Cõsiderandus est reparator, qui spiritus sui uirtute reformat quicquid in nobis est uiciosũ, ut mũdo uiuere desinamus & carni, ac deus ipse in nobis uiuat. Cõsiderandus est Rex, qui omni bonorũ genere nos ditat, qui nos gubernat sua uirtute ac tuetur, qui spiritualibus nos armis instruit, ut aduersus diabolũ & mundũ inuicti stemus, qui nos ab omni noxa liberat, qui ori- Christus sacerdos. Christus Rex.

sui sceptro nos moderatur ac regit. Atq; ita cõsiderãdus, ut ad se deũ uerũ & ad patrẽ nos ducat, donec impleatur illud, quod tandẽ futurũ est, nẽpè, ut sit Deus omnia in omnibus.

Quomodo se Christus nobis communicet.

Porrò ut se nobis talẽ exhibeat Christus, ac eiusmodi effectus in nobis proferat, unum cũ ipso nos effici, & in eius corpus coalescere oportet. Quia nõ aliter uitã in nos suam diffundit, nisi dũ caput nostrũ est, ex quo totũ corpus cõpactum & connexum per omnẽ iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensura cuiusq; membri, augmentum corporis facit.

Spiritualis cõmunicatio.

Hæc spiritualis est cõmunicatio quã habemus cũ filio dei, dum spiritu suo in nobis habitãs facit credẽtes omnes omniũ quæ in se resident bonorum cõpotes. Cuius testificandæ causa tam Euangelij prædicatio institutа est, quàm Sacramentorum usus nobis cõmendatus, nempè sacri Baptismi & sacræ Cœnæ.

Sacramẽta instituta.

Sacramẽtorum finis.

Sunt quidẽ & hi sacramentorum fines ut notæ sint ac tesseræ Christianæ professionis & societatis, suæ fraternitatis, ut sint ad gratiarũ actionẽ incitamẽta, & exercitia fidei ac piæ uitæ, denique syngraphæ ad id obligãtes. Sed hic unus inter alios præcipuus, ut

pcy

per ea nobis suam gratiã testetur Deus, res præsentet atq; obsignet. Nam etsi nihil aliud significant, nisi quod uerbo ipso annũciatur, hoc tamen magnum est, subijci oculis nostris quasi uiuas imagines, quæ sensus nostros melius afficiãt, quasi in rem dueendo, cum nobis Christi mortem omniaq; eius beneficia in memoriam renocant, ut fides magis exerceatur, deindè quòd ore Dei pronunciatũ erat, quasi sigillis confirmari & sanciri.

Quod uerè sacra mẽta figurant, dominus uere præstat.

Cum autẽ uera sint quæ nobis dominus dedit gratiæ suæ testimonia & sigilla, uerè proculdubio præstat ipse intus, suo spiritu, quod oculis & alijs sensibus figurant Sacramẽta: hoc est, ut potiamur Christo tanq; bonorũ omniũ fonte, tũ ut beneficio mortis eius recõciliemur deo, spiritu renouemur in uitæ sanctitatẽ, iustitiã deniq; ac salutẽ cõsequamur: simulq; pro beneficijs his olim in cruce exhibitis, fide uerò peeptis à nobis, & quæ quotidie fide percipimus, iã agamus grarias.

Gratiarũ actio.

Quarè etsi distinguimus, ut par est, inter signa & res signatas, tamẽ nõ disiungimus à signis ueritatem, qum omnes qui fide amplectũtur oblatas illic promissiones, Christũ spiritualiter cum spiritualibus eius donis recipere

Distincta signa & res signatæ.

pere, adeoq; & qui dudum participes facti erant Christi, communionem illam continuas re ac reparare, fateamur.

Promißio maximè est in Sacramẽtis ſpectãda

Neq; enim ad ſigna nuda, ſed potius ad promißionẽ, quæ illic annexa eſt reſpicere cõuenit. Quatenus ergò in promißione illic oblata proficit noſtra fides, eatenus iſta uis & efficacia, quam dicimus, ſe erexit. Ita materia aquæ, panis aut uini Chriſtũ nequaq; nobis affert, nec ſpiritualiũ eius donorũ cõpotes nos facit, ſed promißio magis ſpectãda eſt: cuius partes ſunt nos rectã fidei uia ad Chriſtũ ducere: quæ fides nos Chriſti participes facit.

In elemẽtis nõ obſtupeſcẽdum.

Hinc concidit eorũ error, qui in elementis obſtupeſcũt, & illis affigũt ſalutis ſuæ fiduciã: cum Sacramenta à Chriſto ſeparata nihil ſint, q̃ manes laruæ: & in ipſis omnibus hæc uox clarè perſonet, non alibi quàm in ſolo Chriſto hærendum, nec aliunde petendã eſſe ſalutis gratiam.

Sacramẽta per ſe nihil efficiũt. Soli Deo omnis actio ſalutis tribuẽda.

Præterea ſi quid boni nobis p̃ ſacramẽta cõfertur, id nõ fit propria eorũ uirtute, etiamſi promißionẽ qua inſigniuntur, cõprehendas. Deus enim ſolus eſt qui ſpiritu ſuo agit: & quod ſacramentorũ miniſterio utitur, in eo neq; uim illis ſuã inſudit, nec ſpiritum ſui efficacitatem

caciæ quicquã derogat: sed pro ruditatis nostræ captu, ea tanq̃ adminicula sic adhibet, ut tota agẽdi facultas maneat apud ipsũ solum.

Itaq; quemadmodum Paulus admonet eum qui plantat aut rigat nihil esse, sed unum deum, qui dat incrementum: ita & de sacramẽtis dicendum est, ea nihil esse, quia nihil profurura sint, nisi deus in solidũ omnia efficiat. Organa quidẽ sunt, quibus efficaciter ubi uisũ est, agit deus, sed ita ut totũ salutis nostræ opus ipsi uni acceptum ferri debeat.

Deus organo utitur. sed ita ut omnis uirtus sit dei.

Cõstituimus ergò unũ esse Christũ, qui uerè intus baptizat, qui nos in cœna facit sui participes, qui deniq; implet quod figurant sacramenta: & uti quidem his adminiculis, ut totus effectus penes eius spiritum resideat.

Sic interdũ sacramenta uocãtur sigilla, dicuntur fidẽ alere, confirmare, promouere, & tamen solus spiritus propriè est sigillũ, & idẽ fidei incohator est & perfector. Nam hæc omnia Sacramentorũ attributa inferiore loco subsidunt, ut ne minima quidem salutis nostræ portio, ab unico authore, ad creaturas uel elementa, transferatur.

Quomodo sacramenta cõfirment.

Præterea sedulò docemus, deũ nõ promiscuè uim suã exerere in omnibus, q̃ sacramẽta

Nõ oẽs sacramento participã

tes re quoq; participant.

recipiũt, sed tantũ in electis. Nã quẽadmodũ nõ alios in fidẽ illuminat, q̃ quos præordinauit ad uitã: ita arcana spiritus sui uirtute efficit, ut ꝑcipiãt electi quod offerũt sacramẽta.

Sacramẽta nõ conferũt gratiam.

Hac doctrina euertitur illud sophistarum cõmentũ, quod docet sacramenta nouæ legis cõferre gratiã omnibus nõ ponẽtibus obicem peccati mortalis. Præterq̃ enim quod in Sacramẽtis nil nisi fide ꝑcipitur, tenendũ quoq; est, minimè alligatã ipsis esse dei gratiam, ut quisquis signũ habet re etiã potiatur. Nã reprobis peræq; ut electis signa administrãtur, ueritas autẽ signorum ad hos solos peruenit.

Omnibus offerũtur dei dona, fideles dũ taxat percipiunt.

Certũ quidẽ est offerri cõmuniter omnibus Christũ cum suis donis, nec hominũ infidelitate labefactari dei ueritatẽ, quin sẽper uim suã retineãt sacramẽta: sed nõ oẽs Christi & donorũ eius sunt capaces. Itaq; ex dei parte nihil mutatur, quantum uerò ad homines spectat, quisq; pro fidei suæ mensura accipit.

Fideles ante & extra usũ sacramẽtorum Christo

Quemadmodũ autẽ nihilo plus Sacramentorũ usus infidelibus cõfert, quàm si abstinerent, imò illis tantum exitialis est: ita extra eorum usum fidelibus constat, quæ illic figuratur ueritas. Sic Baptismo abluta sunt Pauli peccata, quæ iã prius abluta erant. Sic idem

baps

baptismus Cornelio fuit lauacrũ regenerationis, qui tamẽ iã spiritu sancto donatus erat. Sic in cœna se nobis cõmunicat Christus, qui tamen & prius se nobis impertierat, & perpetuo manet in nobis. Nã cum iubeantur singuli seipsos probare, indè cõsequitur fidẽ ab ipsis requiri, anteq̃ ad sacramentũ accedant. Atqui fides nõ est sine Christo. Sed quatenus sacramẽtis cõfirmatur & augescit fides, cõfirmantur in nobis dei dona, adeoq; augescit quodãmodo Christus in nobis, & nos in ipso.

quoq; cõmunicãt.

Vtilitas porrò quam ex sacramentis percipimus, ad tempus quo ea nobis administrãtur, minimè restringi debet, perindè ac si uisibile signum dum in medium profertur, eodem secum momento dei gratiam adueheret, Nam qui in prima infãtia baptizati sunt, eos in pueritia, uel ineunte adolescentia, interdũ etiam in senectute regenerat deus. Ita baptismi utilitas ad totum uitæ decursum patet. Quia perpetuò uiget, quæ illic continetur promissio. Et fieri interdum potest, ut sacræ cœnæ usus, qui in actu ipso propter incogitantiam uel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum proferat.

Adeò non alligatur actioni sacramẽtorũ gratia, ut fructus eorũ percipiatur aliquandò post actionem.

Præsertim uerò tollẽda est quælibet localis

Localis imaginatio tollẽda.

præſẽtiæ imaginatio. Nã cũ ſigna hic in mũdo ſint, oculis cernantur, palpentur manibus, Chriſtus quatenus homo eſt, nõ alibi q̃ in cœlo, nec aliter quàm mẽte & fidei intelligẽtia quærendus eſt. Quarè peruerſa & impia ſuperſtitio eſt, ipſum ſub elementis huius mundi includere.

Expoſitio uerborũ cœnæ dominí, Hoc eſt corpus meũ.

Proindè qui in ſolẽnibus cœnæ uerbis, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſãguis meus, præciſe, literalem, ut loquũtur, ſenſũ urgent, eos tanq̃ prepoſteros interpretes repudiamus. Nam extra controuerſiã ponimus figuratè accipiẽda eſſe: ut eſſe panis & uinum dicantur id, quod ſignificãt. Neq; uerò nouũ hoc aut inſolens uideri debet, ut p metonomyã ad ſignum trãſferatur rei ſignatæ nomen, cum paſſim in ſcripturis eiuſmodi loquutiones occurrant: & nos ſic loquendo nihil afferimus, quod nõ apud ueteſtiſſimos quoſq; & probatiſſimos Eccleſiæ ſcriptores extet.

De mãducatione carnis Chriſti

Quod aũt carnis ſuæ eſu & ſanguinis poſtione, quæ hic figurãtur, Chriſtus animas noſtras, p fidẽ ſpiritus ſui uirtute, paſcit, id nõ perinde accipiendum, quaſi aliqua ficret ſubſtantiæ uel cõmixtio uel tranſfuſio: ſed quoniã ex carne ſemel in ſacrificiũ oblata & ſãguis

guine in expiatione effuso, ultā hauriamus.

Hoc modo non tantum refutatur Papistarū cōmentum de transubstantiatione, sed crassa omnia figmenta atq; futiles argutiæ, quæ uel cœlesti eius gloriæ detrahunt, uel ueritati humanæ eius naturæ minus sūt consentanea. Neq; enim minus absurdū iudicamus Christū sub pane locare, uel cū pane copulare, quàm panem transubstantiare in eius corpus.

Contra transubstantiationē & alias ineptias.

Ac ne qua ambiguitas restet, cum in cœlo quærendū Christū esse dicimus, hæc loquutio locorū distantiā nobis sonat & exprimit. Tametsi enim, philosophice loquendo, supra cœlos locus nō est, quia tamē corpus Christi, ut fert humani corporis natura, ex modus finitū est, & cœlo, ut loco, continetur, necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quantum cœlum abest à terra.

Christi corpus in cœlo ut in loco est.

Quod si imaginatiōe nostra Christum pani & uino affigere phas nō est, multo minus licet in pane eū adorare. Quanq; enim panis in symbolū & pignus eius quā habemus cū Christo cōmunionis nobis porrigitur, quia tamē signū est, non res ipsa, neq; rē in se habet inclusam aut affixā, idolū ex eo faciūt, qui mentē suam in eum conuertūt, Christū adoraturi.

Christus nō est adorādus in pane, uel in Sacramento.

TIGVRINORVM RESPONSIO AD D. CALVINI scriptum.

ECCLESIÆ GENEVENSIS FIDO PAstori D. Ioanni Caluino fratri chariss. Pastores doctoresq; ministri Tigurinæ Ecclesiæ. S. D.

INgens tuum studiũ, Caluine, frater in domino colẽdissime, & opera sedula, quibus moliris doctrinã de sacramẽtis indies illustriores facere, ac tollere offensiones è media Ecclesia, quæ obortæ uidentur ex obscuriore quadam explicatione mysteriorũ, adeò nihil molestiæ nobis adferũt, ut ea nõ modo laude ac prædicatione digna, uerumetiã pro nostra uirili & adiuuanda esse & imitanda iudicemus. Cũ enim sacrosãctæ leges principis nostri Iesu Christi oẽs actiones referãt ad culturã charitatis studiumq; mutuum iuuandi, nihil etiam seuerius prohibent, quàm ut ullus obijciat alteri impedimentum, quo minus uel rectè uereq; iudicet de ijs rebus, quarum

rum notitia necessaria est, aut certè utilis & salutaris hominibus, uel minus præstet officium suum, quod tum Deo tum proximis debetur: eademq; gratuitate iubent summouere, quantum fieri potest, offendiculaq; in quæ impingere solent homines. Quamobrem causa tui aduentus ad nos & D. Guilhelmi Farelli uenerandi nobis fratris, honestißima nobis uisa est, & imprimis digna uiris Ecclesiasticis: ut primum familiari colloquio quàm simplicißimè mutuum exponeremus nostram sententiam de Sacramentis, præsertim in ijs capitibus, in quibus aliqua certè controuersia hactenus fuit inter eos, qui per cætera capita syncerioremEuangelij doctrinam magno consensu tradiderunt: deindè consensum nostrum edito in publicum scripto testaremur. Nullam enim aliam uiam & rationem commodiorem uidemus, quæ controuersiæ religionis diriman tur, aut pellantur uanæ suspiciones, ubi discrepantia nulla existit, aut denique tollantur offensiones, quæ nasci nonnunquam solent in Ecclesia Dei, ex docentium controuersis opinionibus: quàm si partes quæ dissentire uidentur, cum reuera dissentiunt, inuicem aperißimè

ſuam mentem explanent tum ſermone tum ſcripturis. Sed parum eſſet ueritatem inueſtigatã & deprehenſam apud eos retineri, niſi alijs quoq; hominibus ea pateſiat, plenius expoſitis ijs, quæ parcius indicata fuerant, & quod obſcurius fuit dictum, notioribus uerbis enunciato, quodq; ambigue fuit enunciatum, certis, proprijs & ſignificantibus uocibus declarato. Quæ ratio ſemper eccleſiaſticis patribus placuit & in controuerſijs de religione cõponendis adhibita eſt ſepißime, & nunquàm non ſalutaris fuit eccleſiæ: denique approbata eſt ſummo exemplo Apoſtolorum Chriſti domini ac Dei noſtri. Nam ut in Actis legimus cap. 15. non alio modo & uia ſedata eſt maxima diſſenſio, cum Apoſtoli & Apoſtolorũ germani diſcipuli docerent fiducia in nomen Chriſti purificari corda, & eius ſolius gratia ſeruari homines: aliqui cõtendebant oportere circũcidi & ſeruari legẽ Moſaicam. Itaq; nõ poſſumus nõ ſumopere probare Caluine chare frater, tuos ſanctos conatus & omnium piorũ, qui ſtudent idoneis rationibus offenſiones tollere, & labefactam pacẽ atq; tranquillitatẽ eccleſiæ inſtaurare: dũ Chriſtianã doctrinã ſimplici ac accuratas

exs

explicatione magis magisq; illustrẽ ac planam reddere nituntur, & uanas opiniones discordiæ eximere animis: aut eos etiam qui uerbis & sententijs nõnihil dißiderũt, in ueram, solidam & sanctam concordiam reducere.

Cæterum ut publicatione scripti, quo nostrum consensum clare testari uoluimus pijs iuxta & aduersarijs ueritatis, eum speremus fructum, quem in epistola tua ominaris, facto iam periculo etiam adducimur. Nam formulam mutuæ nostræ consensionis ad fratres aliquos transmisimus, & hic exhibuimus aliquot uiris Christum & ueritatem diligentibus neq; imperitis rerum Sacrarum: qui non modo agnouerunt inter nos conuenire in ijs etiam capitibus, in quibus hactenus multorũ opinione, dissensimus, sed etiam gratias egerunt Christo seruatori, cernentes nos in Deo & ueritate consentire, magnamq; spem uberioris fructus in ecclesia polliciti sunt. Quãquam nonnulli copiosiorem tractationẽ huius argumenti ob ingenia quædam desiderauere. Qui audito consilio nostro haud difficile admiserunt satisfactionẽ. Quorsum enim attinebat pluribus uerbis edißerere Deum esse authorem Sacramentorum, & ea instituisse

ißse

isse legitimis Ecclesiæ filijs: quotq; sint à Christo Ecclesiæ tradita sacramenta: aut quæ inuecta sint ab hominibus: quæ sint partes Sacramentorum: aut quo loco: quo tempore: quo instrumento sacro peragi conueniat mysteria? In quibus & alijs nonnullis id genus capitibus nullam fuisse inter nos uel speciem & umbram dissensionis, satis probant libri editi, quos uel præceptores nostri piæ sãctæq; memoriæ, uel ipsi scripsimus de Sacramẽtis. Verum de corporali Christi domini præsentia, de genuina sententia uerborum solennium, de manducatione corporis Christi, de fine & usu & effectu Sacramentorum: in quibus capitibus multi existimarunt hactenus confligere nostras sententias aut certè uerba, tam copiosè tam planè & simpliciter loquuti sumus, ut speremus homines studiosos tum fraternæ concordiæ tum perspicuæ ueritatis non desideraturos esse in scripto nostro uel copiam uel lucem orationis. Neq; diffidimus quin aliarum quoq; Ecclesiarum Christi per Heluetiam ministri facilè agnituri sint eam ipsam doctrinam de Sacramentis nos expreßisse, quæ multis iam annis populo Christiano uulgata est, utq; in ueritate con-

fessa

fessa minimè gentium à nobis discrepent. Id quod pollicemur nobis nõ sine magnis rationibus de omnibus pijs per Ecclesias aliarum nationum.

Si quis tamen euidentiorem Sacramentorum explicationem protulerit, malumus ea ipsa uti cum pijs omnibus quàm hortari unũ hominem, ut subscribat nostræ consensioni: in qua scripturæ sanctæ uerba usurpauimus, & expressimus apertè, quo sẽsu accipiamus: & cum Ecclesia catholica nos facere pro cõpertissimo habemus. Porrò si non offensiones omnium, quos discordiæ inter nos species impediuit in uijs domini, scriptum hoc sustulerit, præclarè tamen suo munere functũ existimabimus quod non obscurè neq; fucatè omnibus testati sumus, nos quibus Christus dedit idem sentire & loqui de religionis dogmatibus, in mysteriorum etiam explicatione haudquaquàm discrepare. Vale frater dilectiß. Tiguri. 30. Augusti, Anno Domini 1549.

FINIS.

sessa minimè gentium à nobis discrepent. Id quod pollicemur nobis nõ sine magnis ratios nibus de omnibus pijs per Ecclesias aliarum nationum.

Si quis tamen euidentiorem Sacramentorum explicationem protulerit, malumus ea ipsa uti cum pijs omnibus quàm horiari unũ hominem, ut subscribat nostræ consensioni: in qua scripturæ sanctæ uerba usurpauimus, & expressimus apertè, quo sensu accipiamus: & cum Ecclesia catholica nos facere pro cõspertissimo habemus. Porrò si non offensiones omnium, quos discordiæ inter nos Ecclesias impediuit in uijs domini, scriptum hoc sustulerit, præclarè tamen suo munere functũ existimabimus quod non obscurè neq; fucatè omnibus testati sumus, nos quibus Christus dedit idem sentire & loqui de religionis dogmatibus, in mysteriorum etiam explicatione haudquaquam discrepare. Vale frater dilectiss. Tiguri. 30. Aug. gusti, Anno Domini 1549.

FINIS.

Vita nobilissimi viri Johannis à Lasco
Strenuissimi veritatis Confessoris
collecta operâ & studio
Johannis Hildebrandi Wiethofii; Lengr.-Westph.

Nobilis erat seu Baro natus in Polonia circa finem sæculi Decimi quarti; unde in Germaniam profectus Evangelii hac illustratus; ei Embdæ ad tempus commoratus est; ubi cum ob decretum interimisticum diutius vivere non posset, Protector Regni Anglicani Eduardus Dux Sommersetensis sub Eduardo VI minorenni eum ab Anna Comitissa impetratum, unâ cum Petro Martyre, Martino Buccero & Paulo Fagio in Angliam ad stabiliendam reformationem lucem evocatus. Petrus Martyr Oxonii ad Professionem Fagius autem & Bucerus Cantabrigiæ introducti. Ipsemet vero Johannes à Lasco Londini peregrinarum Ecclesiarum Belgicæ & Gallicæ superintendens constitutus, ubi ante Sanctitatem Regis munus obiit, & gloriam Dei omni nisu promovere studuit, & contra Habitum & genuflexionem in Sacrâ Cœna sensit; adeo ut, cum peregrinus esset, nimis etiam, Bucerus teste se Anglicanis rebus immiscuerit. Sed quicquid illud sit strenuum se fidelissimumque in vineâ Domini operatorem præbuit. Sed Dius felicitas hic non continuavit. Rege Eduardo VI. mortuo, Successit Soror ejus Maria Strenua persecutrix Ecclesiæ; sub qua Cramnerus, Ridlæus, & Latimerus octogenarius; item Hopperus combusti sunt; & nostrum hic Johannes à Lasco una cum Martino Micronio, Francisco Riverio, Johanne Utenhovio &c. expulsus profugit in Damiam; sed cum in doctrina de Sacramentis Helvetiis assentiretur à Christiano rege impulsu Pauli Noviomagi Concionatoris regii in ipsâ Brumâ cum Sociis ejectus est, ea repetere littus sub periculo vitæ ei interdictum. Hanc inhumanitatem graviter improbans Sueciæ Deæ Gustavus Johanni à Lasco scripsit, significaritque dolore se [illegible]

non recta in Lucidum cum toto comitatu veniret,
pollicitus, non obstante sincera doctrina, tutum Hospi-
tium, & liberalia etiam stipendia. Interim ipse cum
comitatu Rostochium venit, Wismariam, alii Rostochii
à Georgio Ruken, Wismariæ à Johanne Hoke & Henri-
co Snedenstede Lubecæ à Petro Brietio & Hamburgi
à Joachimo Westphalo acerrimis vixatoribus inhumani-
ter exactus; unde tutiores sedes quærere libuit, quas
comitatus Embdanus pandere visus est, quo se plurimi
è comitatu suo contulere, ipse vero à Lasco cum aliis
Francofurtum migravit, ubi Ecclesiam Belgicam dati
ei pastore Petro Dathenio exercavit; Abhinc quadragesi-
do minimum Magnatum & Ministrorum literis in
patriam suam Poloniam revocatus Johanne Ulissaborio con-
cessit anno 1556, postquam xx annis caulasset. Hic
habitis Senodiis Wilnensi, Vladislaviæ & Pinczoviæ Synodis adfu-
in nonnullis veritatis strenuus assertor contra blasphe-
mias Stancari haesit. Vide Hist. Lete in Comm: Hist: Unitor.
pag: 396, 411 &c: & Lasicio lib: 7. Cum adhuc Embdæ esset, so-
cijus Pastoratus & Diaconiam omnium votis ad 1593, an-
quam in Angliam venit, electus erat, Ecclesiæ statum ibi
ordinavit. Quantus a. quantum in Disciplina Ecclesiastica pro-
tum sit, & conditione Pastorum, ut Theologos theoretices &
practices haberet, collegium pastorum, in quo in moses
Judæorum inquisitio, deq; articulis haberetur disquisitio, s
narit. Singulis a. hebdomadibus Vere & æstate Feria II sub p
ni mulctæ eosdem jussit convenire. Ordo Dodeq; dierat p
eadem Lasco l.c. item Senleto in Ann. Eccl. & Ubbone Em
in Hist. Fr. l. 30. 53. Hic dum fuit cum impurissimo orbis
donia Simulatore Davide Georgio familiaritatem latenti
venam inpices coluit; & hinc Johanne Hornbeckio in Summ
Controv. lib: 6, p. 388, non jamel sub initium anni 1544 scripsit
ad eum literas cum inscriptione: Davidi Georgii dilectissimo
fratri verbi Divini ministro, quarum meminit Nicol. Blas
Erasmius Georgii genere in Historia ejus à Jacobo Revio edita.
Tandem ubi animus revocatus in patriam Reversus ibidem
anno 1560 obiit. Vir certe Regius Divus, maximus in
& orthodoxæ veritatis, quæ secundum pietatem vindex
& assertor strenuus. Cujus memoriam grato animo revolvere

Latorum de Johanne Lascone nostro adeundis, quoq non incommodè videtur Emanuel Metteranus in hist. belli Belgici, qui fata ejus nonnulla lib. 1. pag. m. 28 & 29 Edit. Germ. recenset. Gilbertus Burnetus In hist. Reform. Angl. lib. II pag. m. 531 & 641. ad annum 1550, & 1553. Joh. Sleidanus De Statu Religionis lib. XXV. p. m. 754. ubi & Hieronymi qui frater erat Johannis à Lasco, mentio facta est; Item qui Sleidanum oppugnat semper, Laurentius Surius, Apostata impurus, & Scriptor vanissimus, merisq mendaciis consarcinatus in Commentario rerum in orbe gestarum pag. m. 475, 476, 479, 481, 540, 567. item Lexicon virorum eruditorum cui Johannes Burchardus Monckenius Prof. Lips. praefationem addidit, ubi legitur p. 1135, quod Praepositus Gnesensis antea fuerit hic noster à Lasco, & Episcopus Vesprinii in Hungaria, natus Warscavii quodq praeter hanc librum, etiam Epistolam reliquerit, continentem summam controversiae de Caena Domini &c. vid. etiam Budaei Allgemeines historisches Lexicon. Freheri theatrum eruditorum virorum, Kaenigium in Bibl. vetere & novâ, & Jacobum Verheiden in Elogiis praestantium aliquot Theologorum, Abrahamus van de Corput in de Goddelicke Vierschare oder Ontdeckinge van de Hemelsche gerichte Part. 1. p. 260, 261, 2, 3, 4 & 265. Edit. Amst. ab an. 1697. Cum haec olim adhuc adolescens collegissem, jam demum intelligo ex Bibliotheca Theol. Philologica Bremensi Cl. V. Theodorum Hasarum de hujus viri vita commentarium moliri, & petere, ut alii sua collectanea quae huc faciunt, ei transmittant. Vid. porro de Lascone Thuanus lib. XVI. p. m. 346

Κτῆμα
Johan. Hildebr. Withofii
Anno 1714 ad d. 8 Novembr.
Symbolum
Mundus regitur opinionibus.